DISSERTATIO IURIDICA
DE
EXSPECTATIVA FEUDALI

QUAM

CLEMENTER ADSPIRANTE TRIADE
Ex decreto & auctoritate magnifici & amplissimi JCtorum Ordinis
IN ILLUSTRI ACADEMIA IULIA
PRAESES
ANTONIUS Bessel
Mindensis
Publicæ Eruditorum disquisitioni submittet



RESPONDENTE
CHRISTIANO PAULLI DANO
Sim. Fil.
Ad diem Octobris cIↄ Iↄ c LXXII

WITTEBERGÆ
RECUSA 1743



I. N. I. A.

PRAELOQVIVM

THESIS I.



Succeſſio in feudum, vacans, ſuo modo & conſeruandi & acquirendi & conſtituendi cauſis accenſeri poteſt. Eſt autem alia ordinaria ſiue regularis, alia extraordinaria ſiue anomala. *B. Dn. Hahn. de jur. rerum concl. 74. n. 12.* Ordinaria deſcendentibus primi acquirentis ſolis (nam collaterales quidem ſuccedunt quoque in feudis, verum non qua tales, potius qua deſcendentes ex primo vaſallo *II. f. 31. verb. dum tamen)* J. Feud. ab inteſtato defertur.

II. Sed quomodo ab inteſtato? Cum non immediate ex lege ſ. j. feud: aſt ex primi acquirentis voluntate, diſpoſitione, atque ex providentia & pacto, uti ajunt, tranſmittatur, adeoque primo authori, non ultimo poſſeſſori ſuccedi comm. Feudiſtæ tradant *Zæſ. c. 10. de feud. n. 2. Gail. 2. obſ. 149. n. 2.;* hinc *Alvarott, & Dd. I. f. 8. ſ. 2.* ultro largiuntur, ab inteſtato ſucceſſio-

cessionem in feudis proprie non obtinere. Ad testamentariam potius propiusque accedere videtur; imo fideicommissis præcipue *familiarum* feuda sunt persimilia *Magnif. Dn. Eybenius*, *Patronus meus ac affinis plurimum venerandus, in Elect. Feud. c. 7. ſ. 3 n. 6.* Sicuti enim fideicommisso heres grauatus, ita & possessor vasallus de restituendo feudo oneratus censetur. *Hartm. Pistor. l. 3. q. 23. n. 11.* Sicut deinceps in fideicommissis heredi gravato, *l. 32. ſ. 6. de leg. 2.* ita & in feudis primo acquirenti succeditur. *Id. ibid. n. 42. add. Hartm. sub. tit. de feud. obs. 18.*

III. Anomala successio feudalis habetur talis vel ex provisione juris vel ex provisione hominis.

IV. Ex prouisione juris est, quam tribuit statutum vel consuetudo singularis a communi in feudis succedendi recepto ordine ac modo devians atque exorbitans. Quando scilicet testamentarii heredes legitimis successoribus in feudis præferuntur; cujusmodi mores legesque exstare in Brandenburg. Saxon. testatur. *Andr. Knich. tit. 2. de vest. pact. n. 166.* Quando fœminæ una cum masculis ad feudi successionem admittuntur, consuetudinem fovent Reuerendiss. Abbates & Principes Fuldenses, *ceu elucet ex testimonio quodam a celeberrimo Dn. Eybenio d. tract. cap. 6. ſ. 5. in fin. adducto.* Idem obtinet in regno Siciliæ *Andr. de Isern. I. f. 1. ſ. & quia vidimus.* De ciuitate Paduæ docet *Soacius c. 31. de feud. n. 19.* Quando usu singulari ascendentes successionis feudisticæ capaces reputantur, qualis viget in feudis Zutphan. *Sande tr. 1. ad consuet. Geldr. tit. 3. cap. 1. ſ. 19. n. 19. & seqq.* Quando conjux deficientibus sanguine junctis a conjugis feudo

do non arcetur & sic excludit dominum, cujusmodi exempla refert *Gudelin. de feud. p. 3. c. 5. n. 12.* Plura qui volet, evolvat nunquam satis laudatum *Dn. Eyben. tract. allegat. cap. 6. & 7. de singularibus usibus prolixa elegantia differentem*, nos instituti nostri ratio alio abducit.

V. Ex provisione hominis successionem anomalam efficiunt producuntque pacta successoria, quæ partimur in negativum de non succedendo & affirmativum de succedendo. *Bacchov. ad Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 8. & Venerandus Dn. meus Parens dissert 5. th. 4. n. 7. pag. 203. qui jam cælites inter in sinu Abrahæ triumphans delitesit.*

VI. Pactum negativum, super feudo celebratum, forsitan non absurde describitur conventio, qua animus omittendi feudalem successionem in gratiam alterius declaratur. *vid. Dn. Struv. Syntagm. I. Civ. Exerc. 38. th. 50. add. Vultej. l. 1. c. 9. n 97. Zas. p. 8. n. 70.* Habet autem pro objecto & jus quærendum cui renunciatur, *II. f. 49.* & jus quæsitum, *Decius cons. 389. n 11. Dauth. ad l fin. C. de pact. ampliat. 28. n. 49. Hotom. de feud. c. 38. in fin.* jus quærendum hic indigitamus spem aliquando succedendi in feudum, sive in casum mortis investitos, quæ fovet exspectativarios, simultaneè investitos, agnatosque collaterales ex primo acquirente sanguinem ducentes. Atque hoc jus quærendum æque ac quæsitum non nisi speciali ceditur renunciatione; nam si in definite paternis bonis **auf väterliche Güter**, fuerit renunciatum, feuda non comprehendi communis & receptior est opinio *Rosenth. cap. 7. concl. 22. n. 9. & seqq. Francisc. Vivius lib. 2. decis. 225. pag. 257. n. 54. & 55.* Cessio vero, germ. **Aufkündigung der Lehn**,

fit tripliciter. Aut enim (1) in dominum ipsum abdicatur feudum *II. f. 38.* (2) aut in agnatum *II. f. 18.* modo non remotiorem, alias propior experiri poteſt actione revocatoria *II. f. 26. §. Titius*, aut (3) in extraneum. *II. f. 55.* Priores refutationes juris nituntur auxilio, poſteriorem vero ratam ac validam eſſe conſtitutionibus interdicta feudi alienatio non patitur. Vbi in univerſum tenendum, pacti hujus de non ſuccedendo vim collabaſcere atque exinaniri præmortuis illis, in quorum favorem feudum abdicatum, ita, ut revertatur ad eum, qui refutavit. *II. f. 49.*

VII. Pactum affirmativum ſucceſſionem in feudis anomalam operatur vel per modum I. conſervandi II. vel acquirendi III. vel diſponendi. Modus I. conſervandi feudum toties ſubeſt, quoties de obſtaculo feudum, jure alias debitum, impediente removendo, atque ſic jure ſuccedendi in priſtino vigore retinendo agitur. *Beat. Habn. d. t. concl. 77.* e. g. vaſallus Titius, adverſus quem dominus ex cauſa feloniæ perpetratæ litem ſuſceperat, e vivis decedit, hujus autem filii ſuperſtites, metu privationis adacti, cum domino tranſigunt de condonanda patris felonia. *II. f. 31.* Ecce quam egregie hac conventione filiis conſervetur jus ſuccedendi priſtinum, ſiue alii ſint a latere ſiue non. Agnati quippe nil habent, quod conquerantur, modo illis per ſententiam demum latam nondum jus fuerit quæſitum. *Roſenth. c. 10. concl. 39. n. 38. & ſeqq.*

IIX. II. Acquirendi feudalem ſucceſſionem modus eluceſcit, quando alterius aut utriusque feudum ſibi aut aliis acquirendi gratia, pactum de ſucceden-

cedendo initur. *Dn. Struv. d. Exerc. th. 47.* Quod diversimode contingit, aut enim ipsi investituræ inter dominum & vasallum celebratæ adjicitur pactum, ut casu emergente alius, cæteroquin feudi incapax, ad successionem ejus admittatur. *vid. II. f. 14. I. f. 1. §. 2. 8. II. f. 12. pr. 18. junct. l. f. 3. vers. nisi 15.* Aut vasallus possessor & extraneus singulariter conveniunt de succedendo in feudo. Ejusmodi generis conventio est confraternitas Principum siue illustrium familiarum. Quæ ut robur habeat, consultissimum duco, domini directi adhiberi authoritatem, *add. omnino Heig. lib. 1. q. 23. n. 39. & seqq.* maxime quoad feuda imperii; ut cum causæ cognitione inquiratur, an hujusmodi pacta nocitura sint, nec ne. Unde salutaris confirmationi inseri solet hæc clausula: **Dem Heil. Reich und männiglichen an seinen Rechten unnachtheilig**, *Gail. 2. observ. 127. n. 5. & 6.*

IX. III. Modus disponendi de feudis demonstratur per actum & divisionis & dispositionis in specie ita dictæ *Habn. d. l. concl. 79* Disponunt autem in genere de feudo viventis vasalli agnati in casum, si alterutri paciscentium obvenerit. Verum statim hic sufflaminat ardua illa quæstio: an agnatis, ipso scilicet ignorante, sic disponere liceat? quæ varie profecto variorum JCtorum torsit ingenia. *Hieron. Scurff. Modest. Pistor. vol. 1. cons. 8. Muscul. de succession. convent. class. 1. concl. 3. ac prolixe Danth. ad. l. fin. C. de pact. ampl. 28.* in negativam deflectunt sententiam. E contra *Bart. consil. 72. verb. ex facto proponitur Jason. in. l 61. de V. O. Castrens. cons. 147. verb. super secundo puncto. Schrad. de feud. p. 40. sect. 5. n. 222.* affirmativam, loqui liceat cum

Jaso-

Jasone, ut evangelicam tuentur. Nos ajentium partibus cordare adhæremus, in jure communi & usu approbato fundantes *Gothofred. disp. feud. 4. th. 5. lit. b.* Feudum enim, quæso, qui detorqueri ad illas leges civiles potest, quæ titulum saltem & jus heredis nisi lege vel ex testamento conferri noluere? uti more suo, accuratissime inquam, ostendit *Magnif. Dn. Eyben. in obs. theorico-pract. ad IV. Inst. lib. disp. 4. lib. 3. obs. 4. n. 19.* Et certe non temere quis inficias ibit, agnatis, etiam vivo vasallo, in feudo jus competere si non reapse, solum spe, ceu Dd. loqui amant, radicata de præsenti & probabili, de qua libere per contractum disponi potest *arg. l. 3. C. de donat. Cagnol. rep. l. fin. C. de pact. n. 135. & 136.* De cætero optima a fideicommissis ad feuda fit illatio *Rosenth. c. 9. concl. 41. n. 10.* Jam autem ex communi Dd. sententia fideicommissario pariter cum ipso herede atque cum tertio pacisci est integrum, *Dauth. d. l. n. 48.* Cur denique agnati non eodem gaudeant jure, quo alii de re restitutioni obnoxia, uti est feudum, ante casum restitutionis pro arbitrio paciscuntur *Schrad. cit. loc.* siquidem ejusmodi pacta non tam viventis, quam primi acquirentis bona comprehendant, quæ neque J. Civ. improbari deducit *Ioh. Bologn. in dict. l. fin. C. de pact. n. 36.* His id circo rationibus illaqueatus, affirmantium amplector opinionem; utut minus accurate d. l. cum cæteris Dd. prodiderit Jason, ideo licitas esse de feudis pactiones, quod agant duntaxat de certis quibusdam rebus: tituli enim non objecti hic particularitas aut universalitas attenditur *Habn. d. tract. concl. 78. n. 5.* Atque sic in nobili quadam causa a JCtis Marpurgensibus respon-

responsum esse, non obstantibus, quæ sine textu, sine ratione & sine authoritate Dd. consuluere Schurff. & Mod. Pistor. refert *Vultej. l. 1. de feud. c. 7. n. 48. §. an idem sit.* An vero successores feudales illa agnatorum conventa servare teneantur? item an in eorum subsistentiam domini requiratur confirmatio? alius erit disceptationis *vid. I. f. 8. II. f. 26. §. omnes.*

X. Præterea pinguiori jure domino, quam agnatis, de feudo viventis vasalli disponere licet, quia penes ipsum dominium directum est. Et quidem disponit dominus de eo, quando spem feudi ad se reversuri in alium transfert sive ut luculentius exprimam, alicui in feudo ab alio possesso *Exspectativam* pacto concedit. *Habn. d. l. concl. 80.* Quod pactum cum sit successorium, successionemque in feudis constituat anomalam *Dn. Struv. Syntagm. jur. feud. c. 9. aphor. 13.* quis est, qui non videt, quare hactenus quædam de successione feudali præcipue irregulari præloqui & delibare placuerit. Nunc pro ingenii modulo in ipsa viscera Exspectativæ penitus erit inquirendum; ne autem inconcinne & equorum loris solutorum instar vagari, inque densitate saltus oberrare videar, intra hos limites præsentem decrevi coercere dissertationem. Exponam rudi satis penicillo cap. I. tractationem nominalem. II. definitionem & divisiones. III. causam efficientem & subjectum. IV. materiam circa quam, s. objectum. V. formam & modum. VI. finem & effectum primum. VII. contraria. IIX. effectum ortum, atque competens forum. Quod ut prospere & feliciter procedat, illius, qui res penitus desperatas donare & consummare suæ virtutis magnitudine potest *l. 2. §. 2. C. de V. I. E.* opem, auxiliumque

clemens humillime imploro, ut competenter universa gerantur *Nov. 6. pr.* &, quæ inchoata sunt, bono peragantur exitu *c. principatus 1. q. 1.* Tuæ humanitati, benevole Lector, & æquitati me commendans, ut, si quid forsan exciderit à jure aut ratione alienum, condones idipsum juvenantibus his meis annis; nec præcipitanter quatias in eum livoris arietes, quem nunquam pudebit admonitum, dictum suum corrigere *l. 8. ff. de collat. bon.*

Cap. I.

DE TRACTATIONE NOMINALI.

THESIS I.

Quandoquidem rerum intelligentia à verborum pendet intellectu *Gell. l. 23. N. A. c. 10.* & sic rerum quidem potior, verborum vero prior tractatio esse debet, hanc materiam non injuria à vocis auspicabimur origine. Vocabulum autem Exspectativæ non esse latinum ac satius exspectationem nuncupandam, forsan in dubium vocari haut potest, ceu belle innuit *c. 2. de concess. præb. verb. futuræ successionis exspectatio.* Ast quid nos remoramur eo ipso uti? quod usus rerum magister atque tyrannus introduxit. *Rosentb. c. 2. concl. 34. in fin.* Timendum enim, ut dicit Anton. Matthæus de etymo vocis feloniæ, ne, dum nimis affectamus latinitatem pro perspicuis obscura verba usurpasse videamur. Derivanda est exspectativa ab exspectando, ut contractus a contrahendo, testamentum a testando; Exspectativarium quippe spes suavis atque desiderium alit, tandem obtinen-

obtinendi beneficium promissum. *Vultej. vol. 4. cons. 46. n. 96.*

II. Exspectativam in genere sumptam, quatenus jus succedendi conditionale indifferens designat, ratione objecti reperimus in diversissimas abire species. Alia enim in beneficiis ecclesiasticis (late sc. acceptis, ut præbendas, dignitates, cæteraque munia ecclesiastica complectantur *c. pen. de V. S. Rebuff. prax. benef. §. 4. n. 10. & 11.*) Alia in officiis civilibus: Alia in rebus allodialibus: Alia in rebus jam tum feudalibus impetratur. Ut ab hac ambiguitate generaliori, priusquam ad specialem accedamus, nos liberemus vocem, ordine de singulis agere, operæ æstimo pretium.

III. Quod concernit exspectativam, quæ in beneficio ecclesiastico primum vacaturo conceditur, & Canonistis usurpatur provisio, stricte nempe talis *Aug. Barbos. de appell. verb. jur. signif. n. 228.* invenitur illa J. Can. pie ac saluberrime vetita *Gerbard. loc. comm. de minist. ecclesiast. pag. 197.* Ast suo modo: siquidem canones distinguunt inter certi beneficii provisionem & incerti, hac admissa, illam, ut divini judicii animadversione plenam, rejiciunt reprobantque, ea potissimum nisi ratione, ne alienæ mortis captandæ occasio tribui videatur *c. 3. de concess. præb. in 6.* Profecto satis incaute ne dicam inepte; nam æque facilis mortis captatio est, imo facilior occasio, quando incertum beneficium est promissum, & potest ejusmodi exspectativarius captare & accelerare mortem ejus, cujus præbendam maxime expetit. *Dn. Zigler ad Inst. I. Can. lib. 2. t. 27. b. 23.* Hinc *Didacus Spino a Caceres in spec. testam. gloss. 4. n. 101. & seqq.* diserte & vere decidit, prohibitionem conciliorum de

non promittendis beneficiis vacaturis ad incerta quoque trahi debere.

IV. Quicquid sit, Papa ex plenitudine potestatis, quam sedi apostolicæ arrogat *cap. 4. de concess. præc. in 6.* quotidie fere vel duodecim diplomata s. bullas, quas gratias exspectativas vocant, nomine unius beneficii, nondum vacantis, concedit. *Duaren l. 6. de benef. cap. 1. Cum tamen æquius esset,* uti Id. ibid. prudenter inculcat, *ac longe decentius, pontifices non imperio tantum, sed & exemplo cæteros Episcopos in officio continere. Nam in tanto fastigio collocatus, si leges, canones, ac maiorum instituta contemnat, exemplo magis, quam peccato peccat.* Verum Curiæ Romanæ proh dolor! lucri bonus est odor ex re qualibet, Curiæ Romanæ omnia sunt in quæstu. Salse hoc quondam taxavit Romæ Pasquinus, dum indusium soli exposuit, hujus causam percunctanti respondens: se indusii sui exsiccatione Papalem Solis mercaturam anteversurum esse *Stegman. de Eccles. viator. membr. 10. pag. 184.*

V. Ulterius & Imperator exspectantias similes ad beneficium ecclesiasticum primo vacaturum largiri potest, idque primariarum vi precum: Germ. Panieebriefe. *Tholosan. syntagm. I. p. 2. lib. 17. c. 7. n. 22.* Ubi egregie observat *Excellentissimus Conringius in not. ad Lampad. p. 3. c. 11. §. 46. quod fere cum iniuria Cæsaris coniunctum sit jus primi vacantis primariarum precum appellatione prosequi.* Nec enim solent hoc ipsum Imperatores precari, & licet fieret, Reipubl. tamen interest, ne Cæsaris evilescat auctoritas. Hoc jus primariarum precum quid & quale sit, abunde exhibet epistola Caroli IV. quæ ita se habet. *Cum nobis tam de jure, quam antiqua & approbata consuetudine, a Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus prædecessoribus nostris hactenus observata, competat,*

tat, quod ex coronationis nostræ solenniis ad Romanorum regem in quolibet monasterio, in Imperio constituto, unam tantum personam, virtute primariarum precum nostrarum ad beneficium ecclesiasticum facere possimus promoveri.

VI. Illud jus primariarum precum tenuet sunt reliquiæ antiqui & antiquati juris Cæsarei circa collationem Episcopatuum & Abbatiarum, aliorumque Ecclesiasticorum beneficiorum, *quemadmodum doctissime asserit omni laude dignissimus Conringius Animadv. in Bull. Innocent. X. p. 191.* Quod etiam integrum & satis quiete hactenus Imperatores tum qua Reges, tum qua patroni usque ad Henrici IV. Cæsaris tempora sibi usurparant, donec tandem fulmen istud pontificium ex Italia accessit: & Pseudo-Papa Hildebrandus, (omnium quicunque fuerunt Pontificum sceleratissimus, *vid. Cardinalem Bennonem de vita & gestis Hildebrandi*) omnes Episcopatuum investituras regio arbitratui excussum ivit, adeoque inaudito antea exemplo Henricum IV. ad tantas angustias redegit, ut omne jus Episcopale in Papam abdicare sit compulsus. Vide sis *Beat. Dn. Henr. Meibom. dissert. de jur. quod. antiq. Imperat.* Deplorat hoc funestum potentiæ naufragium *Onuphrius Panvinius in vita Gregorii VII. eo ipso*, ajens, *majestatem & dignitatem Imperii Romani eversam, dimidium Imperii ab Imperatore sublatum, imo ea fundamenta jacta, quibus Ipsius potestas omnino labefactaretur.*

VII. Sponte igitur sua corruit absonum illud assertum, quod ab indultu Pontificis jus hoc primariarum precum trahat ortum, ceu Imperatoris majestati vim inferens *Pauermeist. de jurisd. c. 4. n. 7. Theodon.* Reinckingk *l. 3. cl. 4. n. 52.* Nulla enim jurisdictione præ-

 ditus

ditus fuit Pontifex, qua tale jus largiri potuerit Cæsari, quippe de cujus throni fulgore, ut Friderici II. Cæsaris verba recenseam, veluti ex sole radii, cæteræ prodeunt dignitates. Quamvis interim non diffiteamur, Imperatores, civilitate nescio, an religione ductos, hoc jus Episcopalis investituræ ab uno & altero Papa sibi passos esse corroborari *vid. Friderici II. epistolam, quæ exstat apud Besold. thes. pract. verb. primariæ preces.* Quis autem ex ejusmodi confirmatione apostolica inferet serio, Cæsarem jus precum Pontifici acceptum debere? Me hercule nemo, nisi quem fugit tralatitium illud: confirmatio nihil novi dat sed inveterata jura confirmat stabilitque *c. 1. de confirm. util. & inutil. Gail. 2. obs. 1. n. 3.* Ast quo prolabor?

IIX. His visis, acrior pullulat contentio: utrum Cæsar primarias preces post pacificationem religiosam in terris evangelicis exercere queat? *Limnæus l. 2. de I. P. c. 9. n. 8.* mascule id affirmat, insimulque contrarias diluit argumentationes. *add.* Reinckingk. *d. l.* Quibus sine verborum ambagibus eo promptior adstipulor, quod hodie Instrumentum Pacis art. 5. §. 5. omne dubium disertis hisce exemit verbis: *ubi Cæsarea majestas jus primariarum precum exercuit, exerceat.* Subsumo: Atqui jus illud in quolibet indifferenter collegio Ecclef., in imperio constituto, exercuit quondam Imperator *vid. Epistolam Caroli IV. Imperat.* Ergo.

IX. Ast ais quomodo? poterit ne Imperator in terris Evangelicis Pontificiæ religionis præsentare asseclam? Hoc e diametro pugnaret non solum cum Constitut. pac. religionis, cui ut Pontificatus membrum subscripsit Imperator *Cran. de const. relig. p. 1. probl. 4.*

Sed

Sed etiam obicem ferret *Instrum. Pac. alleg. art. 5. §. 5.* præcipienti, ut Imperator, ubi Augustana confessio floret, non nisi ejusdem consortem præsentet. *Vid. hic Burgboldens.*]

X. Absente Imperatore Rex Romanus primariarum precum jus sibi usurpare posse videtur: Et quidem, quia hoc casu in actu secundo compos est majestatis *Dn. Cancell.* Schütz *Coll. Iur. Publ. vol. 1. D. 5. th. 3. lit. B.* non saltem Cæsareæ Majestatis nomine sed & proprio, *ut ex rescriptis D. Ferdinandi infert Beatus Antonius Bullæus Compater meus ac avunculus magnus venerandus discurs. acad. de pact. affirmat. §. 40.* Imperio autem vacante, ejus Vicarii primarias preces exercent Güld. Bull. *tit. 5. verb.* Gottes Gaben zu verleihen *& ibid. Gerlac. Buxtorff.* Reinkingk *d. l.*

XI. Et Augustam vendicasse sibi precum jus, dubitare nos non sinit diploma Eleonoræ, *quod adduxit Besoldus in tract. de magist. & censor.* forsan ob hoc, quod princeps eadem Augustæ tribuat privilegia, quæ ipse habet *l. 31. ff. de LL. Add. Limnæus dict. lib. 2. c. 13.*

XII. Dixi superius primarias preces se per universum Romanum extendere imperium. Secus se res habet quoad provincias Brandenburg. in quibus non Imperator, sed ipse Elector primarias sibi vendicat preces *quod ex Scheplitzio p. 1. consu. March. Brandeb. t. 1. §. 2. & 3. refert Magnif. Dn. Eyben. in colleg. Jur. Can.* An vero Elector hoc habeat vel vi concessionis vel jure præscriptionis, alieni est instituti. Illud insiteri serena fronte non ausim, hoc jus & in alium transferri posse *Goldast. tom. 1. const. Imper. p 375.* & præscriptione immemoriali acquiri *Vultej. lib. 1. de feud. c. 9. n. 21.*

XIII. Quod

XIII. Quod attinet mores nostros haud equidem videmus raro contingere exspectativarum concessiones super parochiis primum vacaturis *laudat. Bullæus dict. discurs. acad.* §. 41. Principes enim aliique patroni tota die adeo eas in casum aperturæ decernunt, ut in quibusdam locis nemo parochus fere sine certo in officio successore moriatur. Quæ sane nonnullorum locorum consuetudo, inspecto jure, non approbanda venit *Matth. Stephan. lib. 3. de jurisd. p. 1. cap. 18.* Hoc ipso enim Ecclesiæ adimitur libertas eligendi ministrum sacro ipsi competens codice *Gerhard. d. l. p. 197.* Laudem ideo meretur, quod ex pio quodam zelo ejusmodi exspectativas abrogarunt Illustrissimi Duces Pomeraniæ *const. eccles. tit.* Von ordentlicher *Vocation*, *Institution*, &c. Necessitate autem urgente, quæ non habet legem *l. 27. de manum. testam.* forsan quod parochus, provectioris ætatis, aut continuo morbo afflictus, functioni præesse nequeat, aliud prostat remedium: Nempe adjungatur ipsi alia persona, quamvis sine spe futuræ successionis *Stephan. d. cap. 18.* Secus in Electoratu Saxonico, ubi substituto certam exspectationem futuræ successionis dari necesse est. *Finckelth. de jur. patron. c. 6. n. 11. 9.*

XIV. Interim non omnio videntur culpandi mores in Marchia, Pomerania, aliisque vigentes locis, ut, defuncto Pastore, ejus filius, donis necessariis instructus, ac morum integritatisque testimonio ornatus, patris in officium surrogetur, aut defuncti pastoris viduam l. filiam ad matrimonium & rem familiarem aptam successor in uxorem ducat. *Speckhan. cent. 3. clas. 1. q. 5.* Nihil quippe iniquius contingere potest, quam parochi bene de Ecclesia meriti liberos aut viduam dese-

deferere & penitus rejicere, præcipue cum experientia proh dolor! plus fatis edoceat, paftores poft obitum præter paupertatem & miferiam vix quicquam pro hereditate relinquere *Finckelth. cit. cap. 6. n. 38.* Modo hæc adhibeatur cautela, ne forte ad ftivam quam ad fuggeftum aptiores promoveantur, neque fucceffio parochiarum reddatur hereditaria *Gerbard. d. l. p. 198.* Hucufque de Exfpectativis ecclefiafticis.

XV. Porro hodie officia civilia viventium frequentiffime promittuntur & in eis exfpectativæ conceduntur *Gail. 2. obf. 155. n. 7.* Atque hæc confuetudo in tantum irrepfit, ut annofam quercum transferre videatur, qui eam in melius mutare conatur. Et fi quidem, quod res eft, dicere licet, æque has exfpectativas, atque ecclefiafticas juri adverfas effe, nullus dubito, cum par ratio prohibitionis militet *Stephan. dict. loc.* Et ita decifum in Sabaudia, teftis eft, *Anton. Fab. in Cod. de div. præfcript. def. 7.* Sed regeris cum Tacito, quod reipubl. interfit, ne fucceffor fit in incerto. Refp. Tacitum loqui de principatu, ad cujus confervationem nimium quantum conducit certi fucceffloris defignatio. Mortuo enim fine fucceffore principe, facile in partes diftrahi imperium, obvia funt exempla *Clapmar. lib. 2. de arcan. imper. cap. 21.* Hifce periculis falubriter obviat mos, ab Henrici III. ætate derivatus; ut, Imperatore adhuc lucis ufura fruente, alii, fuadente neceffitate, exfpectativa, aut, fi mavis, fpes fuccedendi in imperio detur, qui audit Rex Romanorum *Ludov. Molin. de primogen. Hifpan. lib. 3 c. 6. n. 15. 19. & fqq. Limn. l. 2. de I. P. c. 15. n. 15. & 30.* Hinc quoque prudenter A. B. t. 7. provifum reperitur, ut ad filium natu

C tu

tu maximum fecularis Electoratus vacans devolvatur, quæ data primogenito poteſtas ſuccedendi in Electoratum non inepte Exſpectativa quædam legalis appellatur *Roſenth. c. 21. concl. 7.* quatenus a legis determinatione dependet, & adeo eſt radicata, ut nec pater nec Imperator ex plenitudine poteſtatis illud adimere poſſint. *vid. ad Tit. 7. A. B. Buxtorff. th. 85. lit. b.* Et tantum quoque ſufficiat tetigiſſe exſpectativam officiorum civilium.

XIIX. Offert ſe ordine Exſpectativa, in rebus allodialibus conceſſa, quam ſuo loco relinquo, aggrediens denique nunc exſpectativam, quam dominus in feudo viventis vaſalli, alicui ſub conditione dat. Et hæc eſt proprie talis exſpectativa, quæ moribus feudorum ſolum cognita, & omnium Feudiſtarum ore circumfertur: de qua in hac diſſertatione, Deo dante, ex profeſſo agere, ſubiit animum. Ut autem propius ad rem accedamus, e re erit, inquirere in homonymiam quoque vocis ſpecialiorem, (de generaliori hactenus egimus,) quæ provenit ex diverſa acceptione hujus Exſpectativæ feudalis.

XIX. Denotat nomen Exſpectativæ feudalis I. modum ſive actum, quo, interveniente quodam contractu, jus ſuccedendi in feudo conditionale conſtituitur; & hac ratione Exſpectativa promiſſio dicitur. *vid. Cortrei. Diſput. Inaugural. de Exſpectat.* Item inveſtitura in caſum mortis, &, valde eleganter, de caducitate ſucceſſionis. *Vultej. vol. 4. conſ. Marpurg. 46. num. 140.* inveſtitura enim indubitato nomine actus venit. II. ex communi loquendi uſu literas exſpectativarias. Angefalls-verſchreibung, *Vultej. d. l.* quum hac formula illæ literæ

gratiæ

gratiæ plerumque laudentur: Urkundlich ꝛc. und zu vester unverbrüchlicher Haltung haben wir diese unsere Exspectans und Anwartung mit eigenen Händen unterschrieben, und unser Fürstliches *Secret* darunter hängen lassen. So geschehen und gegeben ꝛc. III. Jus quod dominus in feudo vasalli possidentis habet respectu exspectativarii; & in hac significatione vocatur Angefälle feuda aperta seu apertura. *Cothman. vol. 3. consʃ. 41. num. 10.* IV. Jus, quod per illam concessionem domini in feudo viventis vasalli Exspectativario acquiritur: qua in postrema denotatione definienda erit Exspectativa. *vid. Dn. Struv. cap. 7. aphor. 4.*

XX. Indigitatur alias exspectantia, *Dn. Struv. dict. aphor. 4. exeg. n. 3.* gratia, *Georg. Everhard. vol. 1. cons. 4. n. 101. & 121.* pactum exspectativum, *Vultej. l. 1. de feud. cap. 7. n. 48. vers. quare accuratius. Beat. Habn. dict. tract. concl. 80.* Investitura de successionis caducitate, *Bald. I. f. 27. §. si quis. & Matth. de Afflict. II. f. 9.* Investitura in casum mortis, *Berlich. p. 2. conclus. 1. & 2.* Investitura exspectativa, *Gothof. Anton. disp. feud. 4. th. 5. lit. d.* Nostro idiomate ein Expectantz, Lehns-Expectantz-Anwartschafft, Eventual-Belehnung, Angefälle, Anwartung eines noch unverledigten Lehns, Angefälls-Verschreibung, Anwartung auf eines andern Lehn, ein Gnaden-Lehn, ausgebeten Lehn. add. *Besold. th. pract. voce* Gedinge *Webner. verb.* Anwartung *Vultej. dict Consʃ. 46.* De Jur. Sax. nuncupatur Exspectativa ein Geding *cap. 5. & 57.* a conditione, quæ plerumque in eventum mortis ejusmodi concessioni inseri solat, item ein Lehn ohne Gewähr *cap. 59.* quia spem hanc succedendi habens destituitur adhuc possessione. *Hartm. Pistor. lib. 2. quæst. 25. n. 1. & 34.* Cui promissio feudi sic conditio-

naliter

naliter facta est, dicitur exspectativarius, concessionarius, investitus, vasallus, spe scil. *Rosenth. c. 12. conclus. 11. n. 3.* Germ. ein Beanwartteter, it. ein Expectante, longe diverso sensu ac secta istorum, quam fovet Anglia; illi enim appellantur ideo die Expectanten, vel quia exspectant stolide revelationem divinam, ei, quæ pridem per Spiritum S. in Scriptura S. transmissa est, contradistinctam: vel quia præsentem Ecclesiæ existentiam negant & in futurum exspectant miraculosam cœtus Christiani per Apostolos restitutionem. *vid. Joh. Arndii Lexic. Antiq. p. 508.*

CAP. II.

DE DEFINITIONE ET DIVISIONIBUS.

THESIS I.

Tractationi nominali ordine succedit, quæ realem spectat, definitio, ex qua tanquam potissima rei parte vis & natura ejus investigari potest. *Everbard. in Top. loc. 3. defin.* Reprehendo autem non uno ab omnibus modo exspectativam describi, cooperante id ipsum diversa vocis ambiguæ acceptione. *Dn. Cortrej. dict. disp. inaug.* ipsi promissionem, e contra *Dn. Struv. alleg. cap. 7. aphor. 4.* jus loco generis apponit; Alius poterit alio modo, prout acceperit Exspectativam, describere. Nobis placet absque ulteriori indagine hanc subnectere definitionem, quod *Exspectativa sit jus succedendi in feudum a Domino sub conditione aperturæ, etiam sine consensu vasal-*

vasalli possessoris, alicui constitutum vid. Dn. Struv. d. c. 7. aphor. 4.

II. Jus obtinet locum generis, quod vocabulum cum verbis faciendi in perpetuo usu juris conjungitur, adeoque apud omnes latini sermonis gnaros potestatem jure publico tributam designat, velut jus testandi, stipulandi, retinendi, eundi &c. *Vinn. ad pr. J. de action.* Neque alia hic quærenda est voci significatio quam quod quoad exspectativarium sit facultas *succedendi nempe conditionata* moribus feudorum data.

III. Consulta in definitione omisimus solemnia ista, quæ essentialiter adhiberi oportet investituræ quam vocant; abusivæ, ut cuivis obvium fiat reale discrimen inter hanc & de futuræ successionis caducitate investituram, sic quippe Dd. Exspectativam vocant. Abusiva enim non tantum symboli, jus feudi, solennitatis causa, repræsentantis porrectionem, sed quoque præsentiam & testimonium parium Curiæ exigit. *II. f. 2. pr.* Investitura vero de successionis caducitate potius est promissio de investiendo, quam investitura *II. f. 26.* ad instar promissionis de instituendo, quæ non est ipsa institutio. *Vultej. vol. 4. consil. Marpurg. f. 46. num. 126.* Et præter instrumentum & literas, probationis ergo, manu sigillove domini corroboratas, omnem respuit solennitatem, quare verbalis quibusdam appellatur investitura. *Hartm. Pist. l. 2. q. 30. n. 6. Rosenth. cap. 6. concl. 6. n. 4. & 6.* ubi non satis caute agit, dum in eo inter abusivam & in casum mortis investituram discrepantiam quærere annititur, quod illa ad præcise rem tradendam, hæc duntaxat ad præstandum interesse dominum obstringat, quod *cap.*

 6. enu-

6. enucleandum suscipiemus. Investitura porro abusiva & pure & in diem & sub conditione fieri potest; *Rosenth. d. cap. 6. conclus. 19. n. 1.* in casum mortis e converso non nisi sub conditione, uti exprimit tradita definitio, & luculentius apparebit, cum instituerimus discursum de forma exspectativæ. Quæ de differentiis investituræ & abusivæ & exspectativæ disserui, velim capias constitutionem earum: Nam quoad effectum vel nullum vel exiguum inter eas reperitur discrimen. *Rosenth. c. 12. concl. 11. num. 13.*

IV. Neque ociose definitioni intermixta sunt illa verba: *etiam absque consensu vasalli possessoris*, quippe quæ minime patiuntur definitum cum simultanea confundi investitura, quæ non nisi interveniente possessoris consensu robur adipiscitur *Modestin. Pist. vol. 2. cons. 40. n. 55. & 64.* Ut taceam simultaneam investituram singulare & fortius operari jus, quam illam de successionis caducitate, quæ ex se & sua natura non tribuit jus in re, sed saltem jus ad rem, sive obligationem. *Dn. Struv. d. cap. 6. aphor. 6.* Excepto forsan unico illo casu, si exspectativarius una missus fuerit in possessionem feudi possessi; pari ratione ac beneficiendas, simulac turnarius est factus, jus in re s. possessionem vel quasi canoniæ consequitur *c. 13. de præc. in 6. Hostiens. in summ. de concess. præb. n. 2.* Actum tamen immissionis in feudum, ut legitimus reputetur, vasallus possessor, si non expresso, saltem tacito consensu vallare debet. *Modest. Pistor. d. cons. 40. n. 45.*

V. Nos minime fugiunt hic quorundam somnia: principem, ajentium, nuda, i. e. sine mentione tradendæ possessionis: promissione feudi transferre possessionem. Quo quid perversius excogitari posse, vix video-

video. Nam præterquam quod de summo tantum loquantur Principe, iniqua nihilominus meretur istadici sententia, & naturæ ipsi adversa, cum verba non sufficiant, ubi facto opus est *l.31.ff. de R.J.* Atque dicendo facere, soli vindicamus majestati divinæ. *Genes c.1.* Quapropter in hanc ut erroneam non condescendimus opinionem. *vid. Zas. de feud. part. 6.n.11.*

VI. Declarat insuper definitio Exspectativæ feudalis, eam in feudo viventis vasalli & consequenter non nisi in re jam tum feudali concedi posse; forsan consideratius, quam non nemo, qui non solum res feudales, sed & allodiales adæquatum Exspectativæ hujus objectum constituit: Hoc quippe assertum, præterquam quod clarissimis Jur. Feud. textibus, de feudo militis i.e. vasalli unice loquentibus, indecenter vim infert *contra Nov. 18. cap. 5.*, difficulter quemquam Dd. habet defensorem *cap. 4. infra.* Atque sic egregie apparet differentia specifica inter hanc exspectativam feudalem & illam, quæ 1. in beneficio ecclesiastico. 2. in officio civili. 3. in re allodiali datur. *add. Cap. præced.*

VII. Dum hactenus quasi per transennam expositioni Definitionis insudavi morem gessi Principi Philosophorum Aristoteli, præcipienti, *ab his, quæ generalem doctrinam continent, progredi ad ea, quæ sunt magis specialia.* Ordine ulterius animum appellimus ad Exspectativæ divisiones. *secundum seriem Imperat. in pr. & §. 1. I. de action.*

IIX. Ratione causæ efficientis & subjecti Exspectativa commode dispesci videtur in personalem & realem. Personalem nuncupo; quæ in successores aut investientis aut investiti non transmittitur. Sic,

præla-

prælatus investiens si pendente conditione vitæ debitum exsolvat, ejus successor investituram adimplere regulariter non tenetur. *I. f. 3.* Et quando pactum exspectativum personam saltem certam deducit in obligationem *arg. l. 7. §. 8. ff. de pact. l. ult. C. de contrah. empt. & vend. Schrad. p. 3. de feud. c. 2. n. 27. per l. 58. ff. de pact.* Realem; quæ devolvitur & in successores investientis & investiti. *I. f. 9.* Atque hæc imbuta est ordinariis exspectativæ qualitatibus, ista vero quodammodo a natura communi deflectit. *vid. infra.*

IX. Ratione formæ substantialis alia est definita & specialis; & vocatur J. Sax. ein benandt Geding. *c. 7.* Anwartung an eines Mannes Gut. *c. 55.* alia indefinita & generalis ein Irrlehn, ein irre und ungewiß Geding. *c. 7.* Anwartung an eines unbekannten Mannes Gut *c. 55. Bald. II. f. 27. §. si quis col. 2. vers. cum ergo quæritur Matth. de Afflict. I. f. 9. num. 7.* Specialem exspectativam tribuit promissio feudi certi & determinati conditionaliter a domino facta. Generalis exspectativa non adstringitur a Domino certo alicui feudo, sed ex pluribus primum vacaturo, e. g. auf ein Lehngut, so zuerst erlediget oder uns heimfallen wird. Alia autem adhuc sub forma & quidem generaliori observavi exspectantiam concedi, ut non solum primo vacaturum, sed etiam secundo & ulterius vacaturum afficiat, relicta exspectativario electione. *vid. Dn. Burch. Spilkeri amici mei intimi disput. 1. de Iur. Feud. thes. 34. ubi exhibet ejusmodi literas gratiæ a Magnif. Dn. Eichelio communicatas, quæ inter alia:* Und geben ihm, mehr-erwehnten unserm lieben Getrewen und seinen Lehns-Erben, die Wahl, ob Er oder Sie den ersten, andern oder dritten vorhin nicht beschriebenen Fall nehmen,

men, und ſich damit belehnen laſſen wollen &c. Atque hujus generis exſpectativa ad ſimilitudinem exſpectativæ eccleſiaſticæ non immerito generaliſſimæ ſive generalioris adſciſcit ſibi nomen. *add. Cardinal. Tuſch. voc. Exſpectativa.*

X. A forma accidentali dividitur in ſcriptam, quæ inſtrumento aut ſcriptura interveniente, & non ſcriptam, quæ absque ea conceditur. *l. f. 3. verb. etiamſi pares ej*[illegible]*rtis.*

XI. A modo & actu, quo exſpectativa conſtituitur, belle diſtinguitur in teſtamentariam & conventionalem. Aut enim actus a ſolo domino feudum ad ſe reverſurum alicui conditionaliter relinquente, celebratur, aut actui illi domini promittentis ſimul & exſpectativarii adhibetur conſenſus. Illud cum contingat in ultimis voluntatibus, hoc vero in negotiis inter vivos, *Vultej. l. 1. c. 7. n. 14. & 15.* cuivis innoteſcit fundamentum diviſionis. Ubi non ignorandum, generaliter hic & improprie accipi promiſſionem de inveſtiendo, *Anton. diſp. feud. 13. th. 1. lit. a.* Teſtamentariam voco, quam dominus ultima quacunque voluntate confert, & promittit, ſive id fiat titulo univerſali, ſive particulari, ut nempe heres ab alio inveſtiatur aut legatarius rem aliquam in feudum recipiat. *Roſenth. d. cap. 6. concluſ. 5. n. 1.* Conventionalis perficitur vi pacti ſive nudi, & in ſimplicibus conventi finibus ſubſiſtentis, *l. 27. ff. locat.* ſive non nudi, cui ultra pacti nudi terminos vis aliqua civiliter ac efficaciter obligandi ſ. intrinſecus ſ. extrinſecus accedit. *l. 6. l. 7. §. 5. ff. de pact. Vultej. d. c. 7. n. 13.* Neque facio cum illis Dd. qui pactione illa, quæ non in aliquam conventionem

 jur.

jur. gentium & civilis transit, exspectativam efficaciter constitui dissentiunt. *Alvarott. in ∫. 1. II. f. 7. Mynsing. 4. obs. 61. n. 14. Schrader. p. 5. c. 1. num. 9.* promissionem enim feudi semper concomitatur causa, puta feudum, quæ tituli loco est, cum annexam utique habeat illam conditionem, ut recipiens fidelitatem juret, dominoque suo conjugali sese *II. f. 58.* i. e. arctissimo vinculo ad fidem & servitia obstringat. *Laud. II. f. 2. n. 12. Bellapest. de feud. cap. 6. Vultej. l. 1. c. 10. n. 9.*

XII. Quod reliquum est, quemadmodum titulus, quo res cuique acquiritur, alius est lucrativus alius onerosus, partiri lubet Exspectativam in lucrativam & onerosam. Illa conceditur gratis & ex mera Principis benevolentia. Germ. dicitur **ein Gnaden-Lehn.** *Besold. thes. pract. voc.* **Gedinge.** *jung. Bald. II. f. 9. add. Georg. Everhard. vol. 1. cons. 57. num. 32.* Hæc ob datum aliquid aut factum; puta si certam pecuniæ summam, aut aliud aliquid pro ea quis dederit vel pro sibi debito acceptaverit istam. Insurgunt hic Dd., pecunia, dicentes, rem ut feudalem non aquiri, quia (1) feudum non sub prætextu pecuniæ, sed amore & honore domini acquirendum. *I. f. 27.* (2) feudum est beneficium sive benevola actio tribuens gaudium capientibus. *II. f. 23.* Tantum igitur abest, ut illud, cui comparando intercedit pecunia, possit dici beneficium, ut potius non sit feudum juxta tritissimam philosophorum regulam: de quocunque negatur genus de eodem negatur & species. *Nicol. Everhard. in top. loc. 6. a genere ad speciem.* Sed palmam tulit affirmativa sententia. *I. f. 7. verb. nisi emerint.* & ibid. *Andreas de Iserm. & alii. Soacius prælud. feud. cap. 17. ubi fuse resolvit objecta argu-*

argumenta quo me studio remitto. Incidenter hic observandum, Exspectativam ecclesiasticam, sive die Pfarren-Verleihung titulo oneroso non esse acquirendam *actor. 18. & seqq. & tot. tit. de Simon. jung. ibid. Andr. Vallens. §. 2.* Quare Sereniss. Princeps Henricus Julius, Dux Brunsv. & Luneb. hanc execrabilem rei spiritualis mercaturam Anno 1597. d. 14. Jun. publico edicto severe inhibuit, & ne pro pingui & opulenta parochia plusquam 4, pro mediocri 3, pro exigua 2. imperiales a Patronis in recognitionem exigerentur, sub pœna privationis juris patronatus saluberrime constituit. Liceat verba Edicti ob pietatem, quam præ se ferunt, huc traducere. So wollen wir die ausländische Patronen hiemit freundlich und gnädig ersuchet, ermahnet, und gebethen, unsern Unterthanen aber ernstlich und bey Vermeidung unser höchsten Ungnade auferleget haben, daß sie sich solcher unziemenden und ihnen selbst schimpflichen Exactionen und Schindereyen in und bey Verleihung ihrer in unsern Fürstenthumen und Landen habenden Pfarren hinführo eussern und enthalten, und mit einem leidlichen Lehn-Gelde, so billig nur pro Recognitione zu fordern und zu geben, als von einer guten vermögsahmen Pfarr einen Rosenobel, von einer mittelmäßigen 3. Rthal., von einer geringen 2. Rthlr. friedlich seyn. Mit der Verwahrung, da hinführo sich finden würde, daß einiger Præsentat ein mehrers zu Lehn-Geldern gegeben (welches dieselbe vermittelst cörperlichen Eydes auszusagen angehalten werden sollen) daß er dann zu der erledigten Pfarr keine werde gelassen, sondern stracks abgewiesen, der Patron seines Patronats für dasmahl verfallen seyn, und die

erledigte Pfarr mit Hindansetzung des Patrons von unserm Consistorio bestellet werden soll ꝛc.

XIII. Alias divisiones ratione circumstantiarum, utpote quod princeps vel motu proprio, vel ad supplicationem partium det exspectativas, cum ad rem parum videantur facere, lubens prætereo, utut quosdam post se relinquant effectus. *Matth. de Afflict. 1. f. 9. num. 14. ibi: nisi feudum fuisset primo donatum motu proprio, secundus adeptus postulatione, tunc secundus præsumitur circumventa.*

CAP. III.

DE CAUSA EFFICIENTE ET SUBIECTO.

THESIS I.

Exspectativæ autem causa efficiens dicitur esse vel remota vel propinqua. Remotam ratione Originis atque ita absolute quoad esse genericum consideratam, putarim esse jus gentium, quod voluntatem domini rem suam in alium transferre volentis ratam declarat, *§. 40. Inst. de R. D. Conf. eleg. Seraphin. de Seraphin. de privil. juram. privil. 20. num. 12. & seqq.* Nec obloquitur *Ulpianus in l. 83. §. 5. de V. O. casum* inquiens, *adversamque fortunam spectari hominis liberi nec civile nec naturale esse.* Ratione vero informationis, comprobationis & introductionis, qua modus exspectativæ præscriptus, indubitato sunt mores feudorum. *II. f. 26. §. moribus.* Nec aliter capiendus videtur *Vultej. c. 11. n. 8.* quod

quod feudi origo, dicens, *ad jus non-naturale, sed civile referenda sit.* Qui mores quando ortum cœperint, nullibi licet, quod recorder, fiat mentio, a vero tamen non aberraret, qui eos post, quam feudorum datio invaluit, demum irrepsisse dixerit. Interim in re occultissima divinatione nimium litare fastidimus, eo contenti, quod consuetudinem concedendi exspectativas hominum memoriam superare sciamus.

II. S[illegible]rosa hic emergit controversia, silentio non involvenda, utrum hæc consuetudo sit rationis expers, ideoque exterminanda? Quod sine ulla hæsitatione nego. Eadem enim (1) æquitas, qua proprietarius in casum mortis usumfructum, alteri constitutum, ipso vivo, alii promittere potest, *supra Cap. 1. th. 18.* non denegabit domino sub conditione aperturæ de feudo gratiam facere, cui velit, *arg. I. f. 24.* quippe qui nullo modo se obstrinxit vasallo ad non infeudandum secundo in casu caducitatis feudi; imo si se obstrinxisset, neutiquam tamen subsisteret. *Matth. Coler. cons. 58. n. 17.* (2) dominus non rei alienæ, sed suæ propriæ ad se reversuræ, spem in alium collocat, quod potest *Clarissimus est textus in l. 3. C. de donat.* Perperam igitur Dd. huc anhelant trahere jus Civ. pacta tum demum damnans, quando de rebus tertii possidentis propriis, nec ullo jure ad paciscentes pertinentibus ineuntur. *Hartm. Pistor. l. 2. q. 25. n. 7. & Georg. Everhard. vol. 1. cons. 57. n. 60. ubi pulchre dicit, pactum exspectativum non esse de futura successione, sed de caducitate successionis.* Neque (3) ll. Romanæ quicquam curant simplicem (uti mos est loquendi) mortis captationem, quæ fit præter intentionem legislatoris, quale exemplum cujusdam Mar-

 chio

chionis ex primatibus Italiæ refert. *Alvarot. l. f. 9 n. 1.* Cæteroquin collabaſcerent integri tituli de mortis cauſa donationibus, fideicommiſſis, legatis, ſubſtitutionibus &c. quibus liquet occaſionaliter induci votum captandæ mortis. *Piſtor. d. l.* Et quamvis (4) demus juri poſitivo (*ſ. illud. ſit. Civile, ſ. Canonicum*) hanc adverſari conſuetudinem, non attamen eſt, quod ad iſtud in caſibus, jur. feud. deciſis, confugiamus. *II. f. 1.* feuda enim ex proprio regulantur jure [illegible] *f. 26. §. filii. Coler. dict. conſ. 58. n. 19.* Aliter litem dirimit *Vultej. d. c. 7. n. 48. pactum hoc*, dicens, *per ſe illicitum conſuetudine feudorum reddi licitum.* Quod intactum relinquo. Illud certum habemus, turpitudinem contra bonos mores laborantem, quæ ineſt pacto, conſuetudinem purgare ſive abſorbere nullatenus poſſe. *Gail. 2. obſ. 125. num. 4.*

III. Aſt num Principi expediat ejusmodi exſpectativarum conceſſio? ſæpius in dubium vocari conſuevit. Equidem Principem apprime decet, animos ſibi ſuorum devincire ad obſequia promptiſſimos, immane quantum adhoc valet liberalitas, *l. 1. C. de revoc. donat.* Sicuti de in Principis fortuna omnes ſupereminet alias, ita oportet principales dignitates culmen habere præcipuum *l. 7. C. de bon. quæ lib.* Præclare id quondam Titus Imperator indicavit, non oportere quemquam a facie & ſermone Imperat. triſtem recedere. Exhibuit hoc ipſum quoddam marmoris fruſtum, quod inter alia l. in monte Quirinali l. foro Trajani repertum eſt, cui hic fuit titulus: *Potentiſſima dos in Principe liberalitas & clementia*, *prout habet Barth. Martin. in Topograph. urb. Rom. l. 4. c. 22.* Verum

rum

rum cum ita claudenda non eſt res familiaris *ceu loquitur Cicero*, ut eam benignitas aperire non poſſit, nec ita reſeranda, ut pateat omnibus, Principes parce & non niſi inter optime meritos & exantlatis officiis eximios præmia diſtribuant, abhorreantque nimium indulgere gratiæ, atque in omnes indiſtincte collocare beneficia, ne ſe rerum gerendarum nervo orbos conquerantur, & ſic furioſum faciant exitum, *l. 12. ſ. ult. ff. de tut.* Quam miſere enim Papalibus ſaltem illis donationibus, noſtra ſit deplumata Aquila, doctiſſime oſtendit. *Celeberrimus Conring. cum alibi tum c. 10. de Finib. Imp.*

IV. Idcirco illorum politicorum conſilium profunda eſt ſuffultum prudentia, qui Principibus, feuda ipſis aperta ad labaſcentes imperii vires non nihil reſtaurandas fideliſſime ſuadent, potius fiſco aſſignare ac reſervare, quam ad importunam petentium inhiationem eadem elargiri. *l. 1. C. de petit. bon. ſublat. lib. 10.* Unde ſaluberrima hæc cautela jam dudum Capitulationibus Cæſareis annecti conſuevit, ne Imperator dignitates Regales ad Imperium devolutas abſque conſilio Electorum aliis conferat, ſed in emolumentum Imperii vertat incorporetque. *Sleidan. l. 1. pag. 12. de ſtat. relig.* Verum tantum abeſt, ut aliquoties recepta, ut etiam ſæpius contraria obſervantia abolita videatur. *Ioan. Thom. Clud. diſp. feud. 2. th. 20.* Arripuere hoc utile remedium Reges Galliæ & regnum ad ſtupendam præſentem potentiam eſt evectum. *uti ex Choppin. de donat. refert. Buxtorff. ad A. B. t. 7. ſ. fin. th. 87.*

V. De-

V. Determinata exspectativæ causa efficiente remota, e re erit, tradere propinquam, quam feudi promissionem esse, serio existimo, simili modo ac transactionis causa proxima est consensus, *l. 13. ibi consensu determinata C. de transact.* promissionem, inquam, feudi, non quæ fit de re allodiali, sed jam tum feudali, & a quodam vasallo possessa, *Dn. Struv. d. c. 7. aphor. 4.*

VI. Cæterum qui exspectativam dare, qui accipere possint, nunc nobis incumbit perscrutandum. Uti autem alias a feudis, præsuppositis terminis habilibus, ad exspectativas solida formatur illatio, per vulgatum illud: paria sunt aliquid facere tempore licito & permisso, & conferre aliquid in tempus permissum, *l. 62. pr. de hered. instit.* ita & hic talem, ceu extra omnem teli jactum quiescentem, præmittimus enunciationem: *omnis, qui feudum dat & accipit, quoque exspectativam promittere & stipulari valet.* Et cum feudi datio contineat alienationem, *II. f. 23. Borch. de feud. c. 5. n. 42.* in proclivi est, omnes, qui alienandi facultate non sunt præditi, inde arceri: tribuit vero hanc I. dominium II. administratio extrinsecus competens *II. f. 3.*

VII. Jure dominii quilibet, ut rei suæ moderator & arbiter, *l. 21. C. mand.* sine ulla sexus & conditionis differentia in re sua exspectativam æque, ac feudum concedere potest, nisi aut natura aut lege prohibeatur. Natura prohibentur, qui intellectu & voluntate carent, *l. 55. ff. de O. & Act.* mente capti, *l. 27. C. de transact.* perpetuo furiosi, *l. 5. l. 40. de. R. I.* non qui spurio laborant furore, & dilucida habent intervalla. *l. 6. C. de curat. furios.* infans & infantiæ proximus, *§. 9. I. de inut. stipul.* Lege prohibentur feudum & conse-

quen-

quenter exspectativam promittere, qui plene & perfecte rebus suis superesse non possunt, *§.6. I. de attilian. Tutor.* impuberes pubertati proximi, *l. 4. C. de præd. & al. reb. min.* minores, *l. 3. C. de in integ. rest. min.* Prodigi, a magistratu tales declarati, *l. 2. §. 2. ff. de tut. & curat. dat.* nequidem adhibito tutorum vel curatorum consensu & decreto judicis interposito, *l. 7. §. 3. ff. pro empt. l. 11. C. de præd. minor. l. 1. §. 1. & 2. de tut. & rat. distrab. l. fin. C. si min. maj. fact. Sonsbec. p. 6. de feud. n. 24. Vultej. l. 1. c. 3. n. 6.*

IIX. Jure administrationis, extrinsecus competentis, rite feuda & sic exspectativas constituunt, qui præsunt vel imperio, vel ecclesiæ vel alii universitati, vel rebus singularibus. I. Imperator in bonis ad Imperium immediate spectantibus, *II. f. 20. A. B. tit. 5.* quamvis hæc potestas, ut supra monui, vi capitulationum Cæsarearum admodum sit restricta. Facem adfert huic rei Capit. Ferdin. II. art. 25. dilucide feriens exspectativarum concessiones, ideo recensuisse non pigebit: Wann auch Lehen dem Reich und Uns bey zeit unserer Regierung eröffnet, und ledig heimfallen werden, so etwas merckliches ertragen, als Fürstenthüme, Graffschafften, Herrschafften, Städte und dergleichen, die sollen und wollen wir ferner niemand verleihen, auch niemands einige Exspectantz oder Anwartung drauff geben, sondern zu Unterhaltung des Reichs, Unser, und unser Nachkommen der König und Käyser behalten, einziehen und incorporiren, bis so lange dasselbe wieder zu wehsen und auffnehmen kömmt. Scire vero debemus, hoc articulo non comprehendi Electoratus, quippe quos Imperator, in gloriosissimi Septenarii Numeri conservationem, alteri conferre

tenetur. *A. B. t. 7. & ibid. Buxtorff. d. th. 87. lit. e. & i.* Verum an adhibito P. P. E. E. consilio? Ita innuit. *Capit. Carol. V. art. 9.*

IX. II. Omnes Episcopi: Pontifex, qui omnium Ecclesiarum audit dominus, *Matth. de Afflict. I. f. 1. num. 7.* Patriarcha, Archiepiscopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus &c. in omnibus rebus ecclesiæ, infeudari solitis etiam absque solennitate Canonica exspectativam, sicut feudum, concedunt, *c. 2. de feud. c. un. extra de reb. Eccles. non alien.* idque per Germaniam observari tradit *Gail. 2. observ. 161. num. 4.* Quænam autem res dicantur infeudari solitæ non plane est expeditum. *Gloss. I. f. 2. pr. verb. antiquitus.* sufficere autumat triginta annos. Alii tempus quadraginta annis includunt. *Zas. p. 5. n. 52.* quod communiter receptum dicit, *Iul. Clar. §. feud. q. 15. num. 4.* Alii obtrudere videntur tempus immemoriale *post Andr. de Isern. Sonsbec. p. 4. num. 11.* Ego omnes has opiniones, tutius, rejicio, judicis id arbitrio relinquens, prudenter dijudicandum. *Fachin. 7. contr. 67. & per l. 1. §. 1. d. effractor. Clud. disp. feud. 3. th. 7.*

X. III. Syndicus nomine universitatis, *Rosenth. c. 3. concl. 9. n. 1. arg. l. fin. quod univ. nom.*, & procurator nomine domini legitime exspectativam concedunt, quia & feudum noviter dare possunt, modo uterque mandato fuerit speciali munitus, *l. 5. 3. de. admin. tut.* nam ut credam mandatum cum libra hanc tribuere potestatem, vix a me impetrare possum. *l. 7. pr. de do. nat. l. 9. §. 4. de acq. rer. dom. conf. Rosbach. process. tit. 12. num. 38.*

XI. Visis personis dantibus, carptim quoque accipientium considerabimus jura. Ubi statim in men-

tem

tem revoco propositionem subantea datam: quicunque feudum, ipse & exspectativam stipulari potest. Feudi autem *sc. constituendi* sunt capaces, quibus rerum non est interdictum commercium, non attento itidem sexu sive dignitate sive ætate sive conditione sive qualitate, *II. f. 3. Clud. disp. feud. 2. th. 49.* Atqui infans & furiosus, quamvis tutore & curatore authore, *arg. l. 5. & l. 18. C. de jur. de lib. Borcholt. c. 5. de feud. n. 46.* Infante vero major, *§. 9. de inutil. stipulat.* Minor 25. annis, *l. 101. ff. de V. O. Zas. p. 5. num. 66.* Prodigus, mutus & surdus aut aliter imperfectus *l. 5. pr. & §. 1. de acquir. vel amitt. heredit.* etiam absque tutoris vel curatoris consensu recte acquirunt feuda: Ergo & exspectativas. His etenim casibus non habet, quod conqueratur dominus, qui sciens ejusmodi minus idoneis beneficium confert, imo gratiam ipsis facere censetur, ut per substitutum serviant. *Carpz. I. P. F. p. 3. c. 28. def. 7. n. 7. & 8.*

XII. E contra non minus Exspectativæ, quam feudi novi incapaces reputantur hæretici, excommunicati, proscripti, banno Imperii perculsi, læsæ majestatis rei, *Vultej l. 1. c. 4. n. 12.* infames, *Finckelth. disp. feud. 5. contr. 22.* maxime quoad feuda dignitatis. *Vultej. d. l. per l. 2. C. de dignit.*

XIII. Coronidis loco non ignorare debemus dubium illud: an in concessione exspectativarum majorem debeat habere dominus rationem consanguineorum ultimi vasalli, quam extraneorum, ita ut hos illis præferat? Ego hanc rem liberæ committo voluntati domini, qui ad hoc non est obligatus, *Gail. 2. obs. 148. n. 2. Georg. Everh. vol. 1. cons. 4. n. 171.* potius bene

meritorum ministrorum cura est habenda. *probe istud. intendit Capit. Ferdinandi III. art. 47. verb.* **die es vor andern wol meritiren.**

CAP. IV.

DE MATERIA CIRCA QUAM VEL OBIECTO.

THESIS I.

Ab exspectativæ causa efficiente & subjecto apposite fit transitus ad ejus materiam, quam hoc capite explanandam suscepi.

II. Exspectativæ autem objectum aliud non arrogamus, præter feudum viventis vasalli, *II. f. 26. §. moribus I. f. 3. 9. 27. II. f. 35.* Errore igitur, ut modeste loquar, non nemo labitur, qui exspectativæ omnes res in feudum dari solitas pro objecto obtrudere annititur. Etenim (1) in re non solum propria, sed & aliena feudum promittitur. *II. f. 8. pr. Schrad. p. 3. c. 1 n. 6.* Ast exspectativa nunquam in re aliena, sed semper in re tali, cujus promittens est dominus directus, conceditur. *dict. text. qui expressis verbis substernunt feudum militis, feudum alienum, feudum, quod alius detinebat, feudum alterius.* (2) alicui rite feudum promittitur in re allodiali, exspectativa vero obvenit non nisi in re, quæ jam tum est feudalis. *vid. Dn. Struv. d. c. 7. aphor. 4.* Firmo inde stat talo, exspectativam feudum duntaxat possessoris vasalli, ut objectum, agnoscere. In eamque sententiam me vocant Præstantissimi illi JCti, *Rosenth. Schrad. Hartm. Pistor. Sonsbec. & alii passim.*

III. Nec

III. Nec quicquam intereſt, cujus fuerit generis feudum, ſive nobile, *excepto caſu Cap. III. th. 8.* ſive ignobile, ſive ſeculare, ſive eccleſiaſticum, ſive ex pacto & providentia, ſive hereditarium &c. Utrum vero huc quoque pertineat feudum, quod nuncupant Dd. mere hereditarium, non inelegantem præbet dubitandi anſam: Agedum rem ex principiis altius arceſſere lubeat, modo prius doctrinæ gratia, quid ſit mere hereditarium feudum, definiverim: nempe in quo ſucceditur modo plane civili, ita ut ſucceſſor defuncti non ſolum ut heres, ſed & jure hereditario in feudo ſuccedat. *Gothofred. Anton. diſp. feud. 1. th. 1. lit. d. add. Knich. de veſt. pact. p. c. 2. n. 38. 39.* habita ſc. relatione, non ad verba inveſtituræ, ut comm. Dd., ſed ad diverſum ſuccedendi modum. *Vultej. 1. c. 8. n. 23.* Prima equidem fronte illud videtur a materia exſpectativæ exſtirpandum eſſe, atque arcendum: quoniam (1) feudum abſolute hereditarium in omnibus & per omnia cenſetur jure rerum allodialium & qualitatem induit hereditariam meram. *Graſſ. in §. fideicommiſſum, quæſt. 50. n. 2. Affl. II. f. 9. §. donare num. 6. Georg. Everh. vol. 1. conſ. 49. n. 47.* eminet id potiſſimum inde, quod is, in quem tale alienaverit vaſallus feudum, illud non jure feudi teneat, niſi ſic, i. e. jure feudi, ei fuerit datum. *II. f. 48.* Accedit & hoc, quod hujus feudi, conceſſione proprietas una cum dominio utili in vaſallum transferatur, *d. t. 48. Dn. Struv. c. 2. aphor. 6. exeg.* Quoties autem (2) ſic conventum fuerit, quidam Dd non ſine ratione exiſtimant, ita contractum feudalem immutari, ut feudum eo non conſtituatur. *Oldrad. conſ. 169. Mozz. de accident. feud. num. 15. & 16. Mandell. conſ. 64. n. 29. & ſeqq.*

Quo

Quo posito consectarium omnino est, feudum simpliciter hereditarium non ex jure feudali esse regulandum, sed potius subjacere decisioni Jur. Civ., quod rerum allodialium successionem alterius committi arbitrio non patitur, *per famigeratiss. l. fin. C de pact.* Verum enim vero his ejusque farinæ similibus rationibus parum refragantibus, ab affirmativa ne latum unguem recedo, quod textus Jur. Feud., de exspectativa agentes, indefinite & generaliter sint concepti, ut complectantur omne feudum, lex autem generaliter loquens, generaliter etiam capienda, *arg. l. 15. §. 27. ff de injur. l. 1. §. 1. de legat. præst.* Neque lege non distinguente, nos distinguere decet. *arg. l. 8. ff. de publ. in rem. act. l. 26. §. 3. ff. de nov. oper. nunc.* Ad ea, quæ dubitationis ergo allata sunt, non deest responsio. Primam objectionem enim, quod scil. feudum mere hereditarium in omnibus & per omnia jure censeatur rerum allodialium, enervat hoc argum. Quodcunque ab alio recognoscitur & quidem titulo feudi, illud non est allodium. Atqui feudum absolute hereditarium &c. Ergo. Major patet ex descriptione allodii, *Bald. II. f. 54.* Minor probatur inde, quoniam, quamdiu tale feudum remanet penes vasallum, retinet naturam feudi recti, ideoque fides & servitia præstanda. *Soucius præl. feud. c. 40. n. 18.* Quin imo si vasallus ea alienandi facultate in vita non fuerit usus, agnati præferuntur extraneis heredibus. *Dec. consf. 193. n. 6. Rosenth. c. 9. conclus. 41. n. 6.* Secundam cum grano salis quoque admitto, plenum, dicens, dominium in vasallum tantum transmitti, quoad alienationem & successionem, *II. f. 48.* in cæteris autem dominium directum sibi reservasse

vasse dominus videtur, juxta brocardium illud: feudum in alteratis degenerat a vera feudorum indole, in non alteratis propriam eorum retinet naturam. *Enucleate Matth. de Afflict. d. t. 48. n. 4. nota, dicit, ex textu, quod reperiatur directum dominium anomolum, videlicet quod dominus habet directum dominium respectu feloniæ, & non respectu alienationis, & est ratio, quia videtur ipse ab initio consentire, concedendo feudum Titio & cui ipso, dederit & sic nota quod istud pactum mutat propriam naturam & inducit novam formam. add. Gail. 2. obs. 154. n. 22.* Quod tertiam attinet objectionem, confiteor, me ab illa Dd. sententia esse alienum, melioris vero doctrinæ gratia duo discernendi sunt casus. Aut (1) in concessione exprimitur, ut sit feudum, & speciem feudi, utut non univocam, constitui, serio puto, *Vultej. 1. c. 8. n. 40. Dn. Struv. c. 2. aphor. 6. exeg. n. 2.* Aut (2) in concessione nulla vel non satis significativa feudi fit mentio, nec in dubio ob conjecturam libertatis feudum, sed donationem præsumi, Dd. fere uno ore affirmant. *Menoch. vol. 1. cons. n. 11. & seqq. Suac. dict. tract. c. 20. n. 25. & 26.*

IV. Feudum interim solare, **ein Sonnen-Lehn**, (cujusmodi feuda vigere in principatu Anhaltino inaudivi) quod neminem præter Solem justitiæ sive Deum & gladium superiorem agnoscit, nec a quopiam feudi titulo dependet, opportunius hinc transportamus ad exspectativam, quam supra Cap. I. diximus allodialem, quoniam istud feudum solare meram sapit allodii naturam, neque præter nomen quicquam de feudi indole participat. *Conf. Magnif. Dn. Eyben. Elect. Feud. c. 5. §. 7. verb. Interim allodiis.*

V. Alia

V. Alia huic affinis se prodit contentio, jam dudum strenue agitata: an liceat Domino feudum vasalli, habentis liberos, alii promittere? *Glossa in d.§.si quis* id ipsum negat, quam communiter Dd. sequuntur, *Facbin.d.l.* hac potissimum inducti ratione, quod spes debeat esse præsumpta & de proximo feudi ad dominum reversuri, quæ non est, quando vasallus habet liberos feudi capaces. Nos juxta doctrinam *l.1.§.6. C. de jur, enucl.* affirmantium partes, ut meliores & æquiores, omnino sequimur, etiamsi auctorum convincamur multitudine. Hæc enim sententia juvatur *per textum II.f.35.* qui omnem indiscriminatim investituram hujusmodi, modo sub conditione conceptam validam deprædicat, non distinguens inter vasallum habentem liberos, vel non, divinatorium idcirco est, quod de spe præsumpta in medium profertur: dein in utroque casu eadem subest ratio, cum utrobique fiat promissio in casum aperturæ *I.f.27.* Nec adversantur illius textus finalia verba: *qui feudi successores non habet*, similiter neque *I.f.9. verb. qui feudi successionem non habet.* Resp. hoc ideo fit, non quod investitura ea sit probosa, quando quis liberos habet, & illi in eventum sine heredibus demoriuntur, sed quod, si alii adhuc sunt in vivis successores, hisce exspectativæ concessio officere non possit. *Vultej. 1. c. 7. n. 49.*

VI. Liqnet, credo, jam satis de objecto Exspectativæ, nempe feudo possesso. Pulcherrimum autem injicit scrupulum, an feudum improprium promissum conditione existente cum sua qualitate transeat in exspectativarium? Nobis sane videtur hæc quæstio non tam juris esse, quam facti. Nam si pacta, investituræ

de

de successionis caducitate adjecta, id exigant, penitus est acquiescendum tenori investituræ, quia pacta formant contractum, *l. 48. ff. de pact.* sin vero simpliciter in feudo improprio fuerit concessa exspectativa, firmiter existimo feudum tale vacans suam exuere qualitatem, & ad propriam redire naturam. Etenim actus secundum propriam suam naturam gestus & celebratus, atque contrahentes sese juri communi accommodasse conjiciuntur. *Surd. cons. 147. n. 24. Natta. cons. 49. n. 22.* Hinc feudum Francum, alicui sub conditione aperturæ promissum, exspectativarius, si aperiatur, a servitiis liberum non adipiscitur. *Guilielm de Perno prim. notabil. vers. an simpliciter dando p. 22.* sed consueta præstare debet, quia concessio pristina confusione omnino exstincta, & naturalia, ut hic servitiorum præstatio, *Borch. c. 1. num. 29.* semper insunt, licet non exprimantur. *l. 11. §. 1. ff. de action. empt. Schneidevv. p. 5. n. 91.* Hinc quoque infertur, feudum servitii certi quando vacans in alium noviter transferatur, non retinere pristinam qualitatem, sed induere naturam servitii incerti, nisi expresse hoc fuerit actum. *Andr. de Isern. II. f. 23. n. 12. & 13. & omnino Rosenth. c. 8. conclus. 4. n. 10. 11. & 12. ubi sublimitat nisi ad hoc servitium certum expresse sit destinatum feudum, ita ut is, qui habet, id officii semper obire debeat.*

CAP. V.

DE FORMA ET MODO.

THESIS I.

Adorior opportune formam exspectativæ, quæ, cum jus exspectativarii semper debeat esse suspen-

 sum

ſum pactioque exſpectativaria pure non ineatur, conſiſtere videtur in conditione pactioni exſpectativariæ adjecta *Matth. de Afflict. I. f. 9. num. 19.* ſc. proprie ſic dicta, *Niell. diſp. feud. 3. th. 4. lit. b.* eaque vix alia, quam caſuali. Siquidem accurate loquendo certo mihi perſuaſum habeo, non diem, ſed conditionem ſubeſſe exſpectativæ conceſſioni. Quamvis enim ſub hoc caſu: *ſi vaſallus moriatur;* exſpectativa fuerit data, ejusmodi tamen adjectioni diei incerti, certo vero exſtituri, tatacite ſemper ineſſe creditur illa conditio caſualis: *ſi vaſallus ſine ſucceſſore feudali deceſſerit, arg. II. f. 26. ſ. moribus*, modo non fuerit perſona vel procreandæ prolis vel matrimonii incapax, uti inceſtes. *l. 31. ſ. 1. ff. de jur. dot.* & jur. papal. clericus, *l. 19. auth. Epiſcopo. C. de Epiſc. & Cleric.* Iſta alias interpretatione rejecta, ſequeretur diem appoſitum efficaciter per mortem vaſalli, etiam ſucceſſores feudi capaces relinquentis, ita veniiſſe, ut ad ſolenniter inveſtiendum dominus compelli poſſit. Hoc, præterquam quod menti promittentis adverſetur, cum lædat pietatem, exiſtimationem, verecundiam, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiat, nec facere dominum poſſe credendum eſt, *l. 15. ff. de condit. inſt. junct. I. f. 7.*

II. Pure igitur facta exſpectativa nullius eſt & eſſe debet momenti, quia triſtitia plenum eſt ſuum cuidam auferri: atque fur audit, qui ex alieno largitur & beneficii debitorem ſibi acquirit, *l. 54. ſ. 1. ff. de furt.* Unde proverbium: *de tuo largitor puer.* Imo ſi exſpectativarius feudum, quod pure promiſſum eſt, apertum petierit, dominus ſe tueri poteſt exceptione nullitatis, *arg. I. f. 9. Roſenth. c. 4. concl. 9. n. 1.* nam quod ab ini-

initio non valet, tractu temporis non convaleſcit. *l. 29. ff. de R. J. vid. infra Cap. ult.* Neque aggrego meum judicium ad opinionem *Bocer. de inveſtit. c. 5. n. 16.* exiſtimantis *inveſtituram bujusmodi de feudo alieno puram, ſi poſſeſſor conſentiat, valere:* quatenus ſcil. promiſſio manet in terminis exſpectativæ, & dominum non reſpexiſſe conditionem aperturæ apparet, *Dn. Struv. c. 7. aphor. 5. exeg.* hoc enim caſu nihilo minus deeſt exſpectativæ forma ſubſtantialis, conditio inquam, quæ dat eſſe rei & mutata prope interimit rei ſubſtantiam. *l. 9. ſ. 3. ff. ad exhibend.*

III. Verum unde in dubio æſtimandum, an exſpectativa abſolute, an ſub conditione ſit conceſſa, non omni caret ſcrupulo? Uti autem potentior, quam vox, eſt mens dicentis, *l. 7. ſ. 2. ff. de ſupell. legat.* verbisque præponderat intentio præferentis. *l. 13. ſ. 2. de excuſat. tut.* ita etiam hoc in caſu potius mentem eſſe, quam verborum corticem, inſpiciendam, nullatenus hæſito. *vid. Dn. Struv. d. l.* & quamvis verba pure videantur concepta, mentem attamen inveſtientis & inveſtiti in futurum collimare ſi patet, ſubſiſtentiam & firmitatem ſortiri debet exſpectativa. Non obſtat axioma iſtud: *inveſtituræ tenor, prout verba ſonant, interpretandus eſt, Paris de Puteo c. 30. de redintegrat feud. n. 11.* utpote de perſpicuo, non obſcuro agens inveſtituræ tenore.

IV. De cætero conditiones iſtæ, ſub quibus ſit Exſpectativarum conſtitutio, diſcrepant quoad formulas diverſosque conditionis exſtituræ caſus, qui ſi generali locutione univerſi comprehendantur, unius eorum exiſtentia promiſſionis operatur effectum. *ll.*

f.35. Berlich. concl. 54. n. 50. & 62. Sin ſpecialis aperturæ ſaltem caſus exprimatur; video Dd. inter ſe acerrime conflictari, an conditio cenſeatur exſtitiſſe, quamvis ex alia cauſa e. g. ob feloniam domino aperiatur feudum, ut ad inveſtiendum ipſe nihilominus teneatur? Ego negativæ opinioni ut communiori & veriori adſtipulor. Conditio quippe ſpecialis, neceſſe eſt, ut adimpleatur in forma ſpecifica. *l. 44. l. 55. de cond. & demonſt. Carpzov. p. 2. l. P. F. conſt. 45. def. 3. Gail. 2. obſerv. 132. num. 3.* Quod adeo eſt verum, ut, liceat poſtea vaſallus ſine liberis fatis conceſſerit, non tamen dominus ulla legitur neceſſitate feudum tradendi, *Hartm. Piſtor. p. 2. q. 25. n. 37.* Conditio enim, quæ ſemel evanuit, nunquam reviviſcit, *eleg. l. 4. C. quando dies legat. Georg. Everhard. vol. 1. conſ. 27. num. 56.* par ergo eſt ut omnis vis corruat obligationis. Neque a nobis divortium faciunt *Vultej. 1. c. 7. n. 52. & Matth. Coler. conſ. 16.* ſi verſari eos dixeris (merito autem dixeris) in illo caſu, quo dominus ſub expreſſa conditione voluerit aliam complecti. Sed quæſtio hæc ſatis differtur ad effectum exſpectativæ.

V. Illud huc pertinet ac ſcitu jucundum eſt, utrum inveſtitura de feudo vaſalli jam demortui, ſub hac conditione: *ſi ſine ille ſucceſſore feudali moriatur,* facta, ſubſiſtat? Ajentibus ſubſcribo, ſive ſciverit dominus mortem vaſalli, ſive ignoraverit, juxta theorema illud tritum: in illis, quæ reiterari non poſſunt, actus, celebratus ſub conditione de futuro, quæ tempore actus jam exſtitit, indiſtincte valet tenetque, *l. 25. §. 1. de lib. & poſthum. l. 11. pr. de condit. & demonſt.* Atqui mors vaſalli eſt non reiterabilis. Ergo. *Schrader. p. 3. c. 2. n. 52. & 53.*

& 53. Secus res se habet de investitura, quam dominus cuidam de feudo viventis vasalli sui, quem mortuum esse credebat, fecit: inanis enim ea & frustratoria declaratur, utut vasallus postea sine liberis decesserit, ne actus operetur ultra intentionem agentium. *arg. l. 16. de acq. rer. dom. Ravennas II. f. 26. §. moribus. Marscott. l. 1. var. res. c. 39. num. 25. & 26.*

VI. Tantum porro abest, ut ad formam exspectativæ exigatur consensus vasalli possessoris, ut potius eo ignorante & invito illa concedatur. *I. f. 27. §. si quis.* Et merito; quia ubi jus vasalli non imminuitur, nec præjudicium ipsi adfertur ullum, ibi illius non exquirendus est consensus, *arg. l. in concedendo 8. ff. de aqua & aq. pluv. arcend.* idque tota testatur dies. *Facbin. 7. controv. 28.*

VII. Constabit jam satis, opinor, pro nostri instituti modulo, de exspectativæ forma substantiali; nunc quædam attingenda sunt de accidentali, qualis est, quæ cadere potest in rem unam aliquam, & in eandem non cadere, *Arist. 1. Top. 4.* De forma autem accidentali est 1. Scriptura aut instrumentum, die Angefalls-Verschreibung: Illud enim non esse de substantia exspectativæ, uno fere ore Dd. statuunt *II. f. 2. ibi, vel quia factum non est, ac ibid. Præpos. n. 5. Schneidevv. p. 4. n. 20.* prout & alias est notum, quod in omni actu, sive inter vivos, sive mortis causa fiat, regulariter scriptura necessaria non est. Consultius tamen est, imo usitatius hodie, confici instrumentum ad probandum id, quod hinc inde actum. *Wesenbec. c. 8. de feud. in fin.* Diversum esto judicium, si placitum fuit, in scriptis Exspectativas dari; tunc enim prius ne-

 gotium

gotium non censetur perfectum, quam in scripturam fuerit redactum. *arg. l. 17. C. de fid. instrum.*

IX. 2. Investitura; quæ non raro intervenire consuevit, *I. f 3. verb. etiamsi pares ejus curtis adsint testes. Magnif. Dn. Eyben. Elect. Feud. c. 5. §. 21.* quia vero ex sua forma futurum respicit casum, solennis investitura dici non meretur, quippe quæ, conditione demum existente, fit prout illud in investitura de successionis caducitate plerumque opponitur his circiter verbis: Thun dasselbe auch hiemit in Krafft dieses, also und dergestalt, daß wir unsern lieben Getrewen auf den Fall, da rc. würcklich wieder belehnen wollen, und dagegen der Lehns-Pflicht und gebührlichen Revers-Brief erwarten. Verum quando Exspectativæ accedit investitura solennis, major omnino efficacia attribuenda videtur ipsi, quam simplici promissioni de investiendo. *Prælaudatus JCtus Dn. Eyben. c. l.*

X. Accedimus ad alterum hujus Cap. membrum, nempe modum, quibus exspectativa conceditur. Ubi rem sedulo perpendenti patebit, duobus saltem in universum modis, inter vivos videlicet & ultima voluntate concedi exspectativas, *Corvin. de feud. lib. II. tit. 2.* unde promanat supra posita divisio in conventionalem exspectativam & testamentariam. Inter quas eximiæ, quo ad initium, cernuntur differentiæ. Testamentaria ab initio contenta est solius domini promissione, nihil pensi habens scientiam exspectativarii, nedum consensum, *Wesenbec. c. 6. num. 6.* quamvis postea integrum ipsi sit deliberare, an gratiam relictam acceptare velit, nec ne, *l. 44. §. 1. de leg. 1.* Conventionalis e converso nullam producit obligatio-

tionem, nisi promissio domini investientis valletur consensu exspectativarii. *Mozz. de orig. feud. in pr. vers. contractus feudi.* Hæc præterea nullam requirit solennitatem. *d. cap. 2.* Illa vero adeo solennitatibus indiget, ut, iis non adhibitis, robur non consequatur. *Videsis tot. tit. de testam. & de legat. & asserti veritatem abunde experieris.*

CAP. VI.

DE FINE ET EFFECTU PRIMO.

THESIS I.

Superest in ordine causarum, qui primus in intentione & ultimus in executione, Finis; quem in persona domini jam supra ingeminavimus esse, ut is, conditione existente, exspectativarium in fidelem recipiat vasallum, atque sacramento jurejurandi ad servitia indefinita secundum feudorum naturam, vel definita, si ita placitum fuerit, obligatum reddat. *Rosenth. c. 8. concl. 1. n. 1.* In persona exspectativarii, ut in eventum solenniter a domino investiatur de feudo aperto, eoque utiliter potiatur, ac ne dominus suum vasallum offendat, sed eum, ut pares exhibeat vices, obstringat. *Rosenth. d. l.* Sane si fidelitatis promissione facta, possessionem tradere dominus recuset, nec exspectativarius fidelitatem facere tenebitur, *ut est glossa II. f. 8. §. 1.* e contra hoc fidelitatem renuente, investitura licite denegatur. *Sonsbec. p. 9. n. 20. per II. f. 3. §. 1.*

II. Exspectativa, sive pacto exspectativo, tali modo constituto, egregii nascuntur effectus, qui vel primi

mi sunt vel orti. Primi exspectativæ effectus sunt, tam ex parte exspectativarii, quam Senioris, jura ad rem. Orti in actionibus, quæ hinc inde inter contrahentes vi exspectativæ dantur, consistunt. *Dn. Eyben. d. tract. cap. 12. §. 1.* De juribus pacti exspectativi ex professo hoc Capite instituetur discursus, actionis interim tractatione ad ultimum rejecta Cap. Putarim autem doctrinæ gratia non immature jus considerari vel respectu domini vel respectu exspectativarii, quoniam in utriusque commodum conceditur exspectativa.

III. Jus domini competit aut ratione exspectativarii aut ratione feudi promissi. *Ludvvell. synops. Feud. c. 14. vers. effectus.* Quoad exspectativarium; dominus eum habet, etiam pendente conditione, ad fidem & reverentiam præstandam sibi obstrictum, *Zas. part. 10. de feud. num. 78.* non vero ad servitia exhibenda, quia nondum feudum actu possidet. *Dn. Struv. c. 15. aph. 10. exeg.*

IV. 1. Quoad feudum promissum; sicut licet rem duobus vendere, ita quoque dominus potest rem feudalem, numero eandem, pluribus promittere; nec exspectativarius regulariter impedire potest dominum, quo minus alium adhuc de eodem investiat, *Bald. II. f. 2. in pr. jung. Schrad. p. 5. c. 2. n. 19.* Quamvis veniat coercendus pœna stellionatus. *l. 3. ff. de crim. stellion. Perez. in C. de R. V. n. 7.* vel fiat criminis falsi reus, quando scil. affirmavit, feudum illud nemini alteri esse promissum, *arg. l. 28. ff. ad L. Cornel. de fals. Schrad. d. c. 2. n. 23.*

V. 2. Quoad feudum porro promissum; domino viventi vasallo potestatem alienandi feudum, quod in casum mortis concessum, etiam sine consensu exspectativarii licite dare potest, in tantum, ut hic empto ri postponatur, neque datum offerens pretium audiatur. *Rosenth. c. 6. concl. 9. n. 2. gloss. b.* (quoniam hæc investitura possessorem damno afficere non debet, *I. f. 27 §. si quis*, quam maxime autem damni loco jura reputant, in libera alienandi facultate impediri, *l. 14. C. de Contrah. empt. & vend.*) neque actione alienatum feudum revocare possit; actio enim revocatoria involvit quoddam jus reale, quo munitus non est exspectativarius, *arg. II. f. 26. §. si facta. Famigeratissimus Dn. Eyben. cit. tract. c. 5. §. 21.* Parum opitulatur, quod *II. f. 39. pr.* consensus eorum, ad quos beneficium quandoque est reversurum, requiratur. Siquidem præter quam, quod textus diserte de agnatis loquitur, explicandus est de iis, ad quos feudum etiam post alienationem est rediturum. *Hartm. Pistor. 2. q. 28. n. 6.* Qui autem quæso hoc casu ad exspectativarium feudum potest devolvi, cum conditioni, investituræ annexæ, omnis sit præclusa existentia, *II. f. 26. §. moribus. ibi, cum feudum domino aut heredi ejus fuerit apertum.* Idque clare est dispositum J. Sax. *c. 5. ubi dicitur:* **Lässet jener, der es im Gewehr hat, das Gut auf, das Gedinge ist daran verlohren.** Diversum esto judicium de simultanée investitis, quibus cum competat actio revocatoria, mirum non est, quod ipsis, uti & agnatis, in vitis feudum non rite alienetur. Interim quia dominus, consentiens alienationi, in culpa est ut evanescat conditio (quæ, quoties per promissorem stat, quo minus impleatur, habetur, ac si impleta,

 l. 161.

l. 161. de R. I.) jure convenitur ab exſpectativario ad præſtandum id, quod intereſt, feudum ad ipſum non reverti. *II. f. 8. pr.*

VI. Jus exſpectativarii itidem partim circa perſonam domini eminet, partim circa feudum promiſſum. Circa perſonam domini; quod ille I. exſpectativarium conditione eveniente de feudo aperto inveſtire teneatur. *d. t. 26.* §. *ſi facta.* II. Neque interea pœnitere licet domino, ſed omnino explenda pomiſſio data, *l. 5. C. de oblig. & act.* §. *4. I. quib. mod. toll. oblig.* Utut fuerit Princeps, quia in conventionibus utitur jure communi, *Bald. in l. 3. C. de teſtam.* nec quicquam eſt, quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in Principe, uti habet textus *leg. inter claras C. de ſumm. Trinit.*, aureis literis notandus, qui licet proprie loquatur de fide Chriſtiana, egregie tamen a Dd. allegatur ad rectam fidem politicam, ceu ſequelam Chriſtianæ fidei rectæ. *Vultej. vol. 4. conſ. Marp. 46. n. 166. Menoch. conſ. 535. vol. 6.* (1) excip. conceſſionem per importunitatem impetrantis factam, *Ravennas I. f. 3. Mareſcott. l. 1. var. reſol. c. 39. num. 8.* (2) excip., quando exſpectativa conſtituitur contractu innominato, eo enim caſu pœnitentiæ regulariter eſt locus. *arg. l. 1. §. 2. ff. de rer. perm.* Præſertim cum contractus, quo exſpectativa conceditur, ſolitam retineat ſuam naturam. *Roſenth. c. 1. concluſ. 4. num. 1. & 2.* (3) quidam excipiunt exſpectativam gratis datam, *Georg. Everhard. vol. 1. conſ. 4. n. 101.* quod in medio relinquo.

VII. Adeo autem Senior promiſſis ſtare tenetur, ut, ſi facultatem rei tradendæ habeat, omnimodo ipſi III. incumbat traditio, nec præſtando intereſſe liberetur

tur

tur. *II. f. 26. ʃ. ſi facta l. f. 4. igitur dominus mittere in poſſeſſionem*, maxime quando natura conventionis, qua exſpectativa conceſſa, præciſam tradendi exigat obligationem e. g. ſi per donationem, item emptionem & venditionem feudum fuerit promiſſum. *ʃ. 2. I. de donat. Berlich. p. 2. concl. 54. n. 60. & argute Dn. Struv. c. 7. aphor. 7. exeg.*

IIX. Is autem demum rem tradidiſſe dicitur, qui poſſeſſionem ejus præſtitit vacuam, *l. 30. ʃ. 1. de act. empt. & vend. Perez. in C. de contrab. empt. n. 13.* i. e. non impeditam nec per alium occupatam, ſed vacuam ob omni impedimento. *Schneidevv. p. 4. n. 11.* Imo ſi poſſeſſione ſemel tradita abuſive inveſtitus cadat, eaque ad dominum revertatur, adhuc ipſe tenetur retro tradere. *Roſenth. c. 6. concl. 7. n. 3.* Niſi juſta aliqua feudum amittendi, ipſaque notoria oborta fuerit cauſa; hoc caſu enim dominus nulla ligatur tradendi neceſſitate, ſecus ſi cauſa altiorem requirat indaginem. *Vultej. 1. c. 10. n. 11. §. ut vero ſi dominus.*

IX. Ex his quæſtio ſcatet ſuaviſſima: ſi alius, mortuo vaſallo, poſſeſſionem nanciſcatur feudi antequam traditum, num eum expellere debeat dominus, litemque ſuis facere ſumptibus, an vero cedendo actionem liberetur? Poſterius affirmo, æquitas enim ſuggerit, dominum, ceu in quem nulla cadit culpa, nec lite nec litis ſumptibus eſſe gravandum. *arg. l. 83. §. 5. verb. ſi ſine facto ejus. de V. O.* ſed ſatisfieri obligationi ceſſioni actionum: potius ferre debet exſpectativarius incommodum litis, cum ſentiat commodum feudi promiſſi. *arg. princ. de legit. patron. tutel. H. Piſtor. d. q.*

 25.

25. n. 25. Berlich. d. concl. 54. n. 51. & ex iis Dn. Struv. c. 7. aphor. 7. n. 4. exeg.

X. Uti ſolicitudo rei, in feudum datæ, ad vaſallum pertinet, *Paris de Puteo c. 89. de redintegrat. feud. n. 2.* ita IV. feudi promiſſi cura atque cuſtodia ad dominum promittentem ſpectat; quare nec expenſæ, pendente conditione in cuſtodiam feudi factæ ab exſpectativario in eventum repeti poſſunt. e. g. ſi dominus, juſto forſan metu vel periculo imminente, præſidium militare, quod licet, in fundo locarit feudali. *Roſenth. c. 8. concl. 2. n. 6. & 7. Bertazzol. l. 2. conſult. dec. conſ. 366. n. 35.* Hæc de jure exſpectativarii circa perſonam domini.

XI. Sequitur nunc jus ejus circa feudum promiſſum: Ratione cujus I. poteſt exſpectativarius, poſtquam conditio exſtitit, vacuæ rei poſſeſſionem propria apprehendere auctoritate, *Berlich. d. c. 54. n. 62. Mareſcot. lib. 1. var. reſol. c. 39. n. 6. & c. 40. n. 1.* Jure enim ſuccedendi attributo, videtur non minus exſpectativario, ac aliis ſucceſſoribus feudalibus, conceſſa poteſtas proprio niſu atripiendi promiſſi feudi poſſeſſionem, *Dn. Struv. c. 7. aphor. 7. n. 5. exeg.* dominusque conceſſo caſu caducitatis, præſumitur abdicaſſe in exſpectativarium ſuam poteſtatem, propria authoritate feudi vacantis ingrediendi poſſeſſionem. *Andr. Fachin. vol. 1. conſ. 14. n. 13.* Tutius autem agit, qui pro hujus ævi turbulento ſtatu ac conditione, ejusmodi non confidit juribus, ſed per ſupplicem libellum magiſtratum implorat, ut ejus auctoritate publica poſſeſſionem feudi ingrediatur, *Fichard. conſ. 6. n. 4. vol. 1.* Res nihil habet dubii quando expreſſe hæc data fuerit poteſtas, ut anim-

ad-

adverti ex literis exſpectantiæ, quibus Epiſcop. Mindenſ. Capit. Syndicum de ſucceſſionis caducitate his inveſtierat verbis: **Daß alsdenn unſers würdigen Thum-Capittels** Syndicus N. N. **mit allen ſolchen der von R. Gütern von uns und unſern Stifft herrührend keine davon ausgeſchloſſen, eigenes Gefallens ohne unſer ferner Erſuchung einnehmen und als ihr ungezweifeltes heimgefallenes freyes Lehengut, an ſich zu halten zu beſitzen** ꝛc. Signanter ſcripſi feudum vacuum, nam ſi dominus poſſidere cœpiſſet feudum apertum, exſpectativarius, propria illud auctoritate occupans, exueretur beneficio, *II. f. 27. ʃ. ſi duo.* Quamvis hoc caſu dominus teneatur refundere omnes fructus perceptos ex feudo promiſſo. *II. f. 7. §. 1. Molin. in conſuet. Pariſ. ʃ. 4. num. 15.*

XII. Etenim exſpectativarius II. feudi promiſſi fructus ſibi vendicat, ſimulac fuerit domino apertum. Sic quippe natura conditionis, uti alius, ita etiam exſpectativo adjectæ, ut ea exiſtente committi dicatur ſtipulatio, *l. 115. ʃ. 1. & 2. de V. O.* feudumque ita cedere & venire, *l. 213. de V. S.* ac ſi pure promiſſum fuiſſet. *l. 26. de condit. inſtit.* Fit idcirco veriſimile, debito feudo, deberi & ejus fructus, cum acceſſorium ſequatur ſuum principale. *l. 19. ʃ. 13. de aur. argent. mund. add. Coler. conſ. 58. n. 33.* Cave autem exiſtimes, omnes fructus indiſtincte feudi aperti ad exſpectativarium ſpectare, ii enim duntaxat, quos dominus alias habuiſſet, ipſi adjudicantur. *Zaſ. p. 10. n. 74.* Quia plus juris exercere haud poteſt, quam auctor habuit. *arg. l. 54. de R. J.* Quapropter (1) omnes fructus pertinet ad exſpectativarium: ſi in eum caſum fuerit inveſtitus: qui percepti a tempore commiſſæ

 felo-

feloniæ, sive consumpti, sive exstantes, vasallus enim eos lucrari non potest, quia ex eo tempore, quo propter facinoris cogitationem sive scientiam jam de pæna sua certus esse poterat, instar m. f. possessoris se habet. *arg. l. 15. qui & a qui manum. Zas. d. l.* utut lucretur fructus, ante feloniam, modo non immature, perceptos. *Schrad. 2. p. 9. sect. 3. n. 22.* Neque distinctionem illam probo, an feudum ipso jure amittatur ob delictum commissum, an vero vi sententiæ privatoriæ. *Schrad. d. sect. 3. n. 31. add. Dn. Struv. c. 15. aphor. 11. exeg. n. 4.* (2) sine culpa domino aperti, feudi fructus pendentes nanciscitur exspectativarius, si ante Calendas Martii & sic post Augustum vasallus sine successore feudali ultimum obierit diem, ita tamen, ut impensæ restituantur heredibus allodialibus vasalli, fructuum colligendorum causæ factæ secus si post Calendas Martii. *II. f. 28. §. bis consequenter Rosenth. c. 10. concl. 42. num. 49.* Diversum obtinet in foro Saxon. ubi fructus industriales pro cultura ad heredes vasalli, naturales vero ad dominum spectant. *p. 3. const. 32.* §. nach Sächs. Landrecht *A* §. *fin.* die Früchte aber, so *naturales. ubi Matth. Berlich. p. 3. concl. 45. n. 15.*

XIII. Cum surrogatum sapiat naturam ejus, in cujus locum surrogatur. *l. 10. §. 2. si quis caut.* consectarium est III. feudo aperto, exspectativarium ad nulla debita exsolvenda obstringi, nisi quibus alias dominus obnoxius fuisset, cum ab eo causam habeat. Atque sic ad consultationem JCtos Jenenses respondisse recenset. *Dn. Struv. c. 14. aphor. 21. exeg. n. 2.* Quorum autem debitorum solutioni est obnoxius dominus, feudo ad se devoluto? Resp, nullorum, si præci-

se

ſe inhærere velimus textibus jur. feud. niſi pro quibus feudum cum conſenſu domini eſt oppignoratum *I. f. 13. verb. ſi. vero cum domini*, *Richt. deciſ. 78. n. 22.* & in caſu *I. f. 6.* §. 2. Pedetentim tamen, ob ſummam id efflagitantem æquitatem, alia feudi debita conſuetudine ſunt recepta. *vid. Heig. 2. q. 20. n. 35. & 43. Richt. d. deciſ. 78. Hartm. Piſtor. 2. q. 48.*

XIV. Juri quoque IV. quod exſpectativarius circa feudum promiſſum habet accenſeri poteſt, quod ille, qua talis, exemptus ſit ab onere renovandi inveſtituram, quoniam inveſtituræ renovationem non prius eſſe neceſſariam, quam ſi poſſeſſionem vaſallus fuerit nactus de Jur. Feud. eſt expeditum. *Gæden. c. 13. n. 20. Hartm. Piſtor. 2. q. 31. n. 1* exſpectativa vero parit ſaltem obligationem conſtituendi feudum. *Hartm. Piſtor. d. l. n. ult. ubi notat, differre hinc inveſtituram ſimultaneam, eamque de jur. Sax. renovari neceſſe eſſe, ob jus perfecte partum.*

XV. Huc V. referenda eſt ea quæſtio, an exſpectativarius ſpem ſuam ſucceſſionis alienare utiliter & in alium transferre poſſit? Facillime quis ipſi concesſerit poteſtatem per modum ſubinfeudationis alienandi, e. g. Sempronius feudum, de quo in caſum mortis inveſtitus ſub hac conditione: ſi id fuerit conſecutus; alii in ſubfeudum promittit. *arg. II. f. 3.* in quo enim caſu non delinquit vaſallus, in eodem nec exſpectativarius. *Schrad. p. 3. c. 2. n. 26.* Et hanc ſubfeudi conſtituendi ſpeciem non itempeſtive quis ſubexſpectativam nuncuparet. Neutiquam vero in exſpectativario ratam declaramus illam alienationem, quam Conſtitutiones Lotharii II. & Friderici I. pœna

priva-

privationis prosequuntur, nisi accesserit domini consensus, *II. f. 52. & 55.* ut ne, conditione eveniente, invito domino alius obtrudatur vasallus. *II. f. 12. in fin.* Preciftam autem preces suas, sive exspectativam ecclesiasticam per cessionem in alium transferre posse, affirmat exemplo, & præjudicio de Anno 1604 confirmat. *Dn. Fritsch. de primar. prec. c. 5. n. 18. e. Vobrug. in indicul. jur. Can. p. 718.*

XVI. Quando dominus pluribus in eodem feudo concessit exspectativas *supra th. 4.* ratione juris, quod competit exspectativario circa feudum promissum VI. prior investitus excludit posteriorem. *Schrad. p. 5. c. 2. n. 19. §. in aliis vero casibus.* Ubi distinguimus duos casus, aut enim aliquis eorum legitime nactus est possessionem feudi, aut vero nullus possidet. Priori casu potior videtur causa possidentis, utut serius investiti, *arg. l. 15. C. de R. V.* Neque ulla actio, qua adversus possidentem experiatur, priori parata; non personalis, quia cum eo non contraxit, non realis; jus enim in re nullum habet, ut talis protestatio posteriori possidenti gignere debeat præjudicium. *Mozz. de subst. feud. n. 36.* Ex singulari ratione diversum in beneficiis ecclesiasticis jur. Can. receptum. *vid. c. 12. & 14. de rescript. in 6.* Hæc conclusio autem, scil. quod possessoris melior sit conditio, in numeris irretitur fallentiis, quarum aliquas recensuisse sufficiat. Nimirum, (1) si secundus possidens sciverit, alium ante se de eodem feudo impetrasse investituram, ne ipsi mala alias fides patrocinetur, *l. 12. §. 1. de furt.* priori postponitur. *Hartm. Pistor. 2. q. 29. n. 28.* (2) si alium de eodem feudo investiendi facultatem a se abdicarit

domi-

dominus, nam & tunc prior præfertur posteriori possidenti. *arg. l. 7. §. fin. de distract. pignor. Schrad. d. num. 19.* (3) oneroso titulo innitens potior est eo, qui saltem innititur titulo lucrativo, favendum quippe magis est de damno vitando certanti, quam illi, qui intendit lucrum. *l. fin. §. 5. verb. licentiæ C. de jur. de lib. l. fin. §. 2. C. de Codicill. Vultej. vol. 4. cons. Marpurg. 46. n. 134. Zoannett. tract. de duplic. venation. 47.* (4) quoties primus jus quoddam in re acquisivit. *vid. Cap. 2. th. 4.* possessio secundum non relevat, *Matth. de Afflict. II. f. 7. §. 1. num. 3. & 4.* (5) si dominus sub hac conditione secundo tradiderit possessionem feudi, ut, primo petente, ad eum revertatur. *Zas. p. 6. n. 14.* Sed quid statuendum, si uterque possessionem feudi traditam alleget probetque? nec, quis horum prior possessionem nactus fuerit, appareat? Resp. conjectatur primo investito prius esse, eam traditam. *Alvar. & Præpos. II. f. 26. §. si facta. Zas. d. l. n. 15.*

XVII. Posterior casu, si scil. neuter eorum sit in possessione, prior merito gaudet prærogativa. *arg. d. l. 15. C. de R. V. & l. 26. ff. locat.* nam prior ad molendinam potior ad farinam, *arg. l. 11. pr. ff. qui pot. in pign.* Excip. si prior saltem habeat exspectativam indefinitam & incertam, posterior vero de certo quodam feudo sit investitus, tunc ratione illius feudi hic potentior est illo. *Carpzov. I. p. F. p. 2. const. 45. def. 4. num. 8.* nisi tum temporis demum istam specialem investituram impetrasset, cum vasallus possessor extremum duxerit halitum, *Pistor. d. l. 29. num. 9.* hoc casu enim vix impetrans se eripiet suspicioni fraudis, cui non est aperienda fenestra. *l. 38. verb. constituimus ff. d. R. V.*

XIIX. In

XIIX. In aprico autem eſt, dominum his caſibus reliquis exſpectativariis, quibus feudum promiſſum; quod unus conſequitur, de evictione teneri. *II. f. 8. pr.* niſi exploratum habuerint, feudum jam alteri promiſſum. *d. t. 8.* item, niſi dominus promiſſionem limitaverit illa clauſula: *ſalvis ſemper juribus alienis*, **als viel wir daran mit Recht zu verleihen haben**: *Borcholt. c. 9. de feud. n. 16. Schneidevv. p. 4. n. 37. Roſenth. c. 8. concl. 30. n. 3. ubi hos ablativos in hanc reſolvit conditionem: concedo ita, ut jura aliena aliis maneant ſalva, nec ego præſtare tenear.* In univerſum tamen tenendum eſt, quod ſi dominus citra culpam cadat poſſeſſione, forſan, quod fuerit ſpoliatus, eum de evictione non poſſe conveniri, æquitas ſuadeat. *arg. l. 83. ʃ. 5. de V. O. l. 27. ʃ. 1. de A. V. l. fin. C. de act. empt. Schneid. p. 1. num. 27. Roſenth. c. 12. concluſ. 11. n. 27.*

XIX. Hactenus, ni fallor, pro paginarum paucitate, quibus hanc diſſertationem, conſtringere volui, ſatis large, jura cum domino tum exſpectativario competentia indicatum ivi, priusquam autem huic Capiti colophonem ponamus, quam maxime e re fore reor, ſi explanavero, an & quomodo obligatio pacti exſpectativi in ſucceſſores non ſolum domini promittentis, ſed & exſpectativarii transmittantur.

XX. Hanc obligationem active tranſire in heredes exſpectativarii ſc. feudi capaces, extra dubitationis aleam eſt poſitum, *I. f. 9. ibi: inveſtito heredi ejus*, nec refert, quod heredum nulla fuerit facta mentio. Cur enim, quod in principalibus perſonis juſtum eſt, non ad heredes transmittatur; dicit ſcite *Baro Schenck. I. f. 9. num. 4. jung. §. 4. J. de V. O.* Atqui hoc non eſt contentionis expers in exſpectativa, ultima voluntate conceſſa,

cessa, siquidem Justinianus prohibuit, legatum conditionale in legatarii, pendente conditione, defuncti heredes derivare. *l. 1. §. 7. C. de caduc. toll.* Verum cum conditio proveniat ex ipsa concessæ exspectativæ indole, *d. t. 9. ibi: investitus pure.* mirum ne videatur, quod ea non impediat transmissionem. *arg. l. 25. §. 1. ff. quando dies legat. eod. Conf. omnino. Francisc. de Barry. de success. lib. 12. t. 3. n. 12.*

XXI. Quod si exspectativarius plures reliquerit successores diversi gradus e. g. concurrunt fratres cum præmortui fratris filiis, illi succedunt in capita, hi vero in stirpes, sive in locum patris; cum jure veniant repræsentationis. *I. f. 8. Borcholt. c. 7. p. 2. n. 46. & in terminis Berlich. d. consf. 54. n. 69.*

XXII. Quoniam porro dominus & vasallus pari jure judicantur, ut statutum in uno porrigatur ad alterum. *arg. II. f. 6 vers. dominus.* æquitas suggerit & in exspectativantis successore passive perdurare obligationem. *I. f. 9. ibi: investitor & investitoris heredes.* Quod ne quem decipiat, valde diligenter distinguendum inter succedentes jure hereditario, & jure proprio, *I. f 3 9.* quia non tam in qualitate personarum, quam in qualitate successionis discriminis causa latitare videtur. *Gothofred. Anton. disp. feud. 4. th. 5. lit. b. Guilielm. de Perno de principe in vers. an successor, pag. 28.*

XXIII. Jure hereditario succedentes, qui ob causam successionis, quam a defuncto habent, ejus vices sustinent, nec facto defuncti & conventioni, adeoque nec exspectativæ concessæ contravenire decet. *l. 14. C. de R. V. Nov. 48. c. 1.* Idque protrahendum est ad successorem 1. minorem. *Schnob. disp. feud. 3. th. 6.* 2. heredem mediate talem, respectu promittentis. *Coler.*

 consf.

conf. 58. n. 38. & 39. 3. principem, qui jure hereditario vel jure feudi hereditarii succedit. *Dn. Tabor. de oblig. success. in off. c. 5. n. 20. & 21.* Neque transmissio impeditur hac clausula: Wann es sich uns verledigen wird; ei enim non majorem efficaciam hic possumus adscribere, quam si fuerit adjecta stipulationi, ubi certum est illam talem restrictionem non operari. *vid. l. 38. §. 5. ff. de V. O. Gothofred. Anton. disp. 7. th. 1. lit. e. in fin.* modo non promissio fuerit manifeste ad solum promittentem, e. g. Wenn es bey meinem Leben erlediget würde. *Rosenth. c. 6. conclus. 15. n. 3.*

XXIV. E contra jure proprio succedentes investituram in casum mortis adimplere non arctantur, *II. f. 26. §. moribus. Guilielm. de Perno cons. feud. 2. pag. 2.* qui enim eos antecessor, ut factum suum præstent constringere potest? cum ab hoc nullum habeant causam, *Gothof. Anton. d. l.* neque illi administratio rerum, post mortem gerendarum, sed saltem præsentium cura commissa. *c. 2. de donat.*

XXV. Hac de causa clerico & Prælato integrum est, an velit investituræ, de caducitate feudi in bonis Ecclesiæ ab antecessore celebratæ, stare, an vero eam irritam reddere. *I. f. 3. 9.* quoniam per electionem similemque modum ad hanc dignitatem & officium ascendit. *c. 1. de præb.* Quod tamen suas patitur limitationes. *Schrad. p. 3. c. 2. n. 46.* Etenim successor clericus ratam tenetur habere investituram (1) quæ vallata est totius Capituli consensu. *Vult. 1. c. 10. n. 16. Borcholt. c. 7. p. 1. n. 21. ubi hanc cautelam valde commendat.* Non attenditur autem, quo temporis spacio ille accesserit, si quidem non solennitatis, sed firmioris obligationis

gationis ergo adhibetur. *arg. I. f. 3. Gothofr. Anton. d. l.* (2) confirmari debet investitura, quæ facta in ingens Ecclesiæ emolumentum & ob remunerationem bene meritorum. *Schrader. d. c. 2. n. 39. ubi suasor suis consulentibus exsistit, ut hanc clausulam, ob bene merita curent in feri investituræ. add. Modest. Pistor. vol. 1. cons. 63. n. 26. & 7.* (3) exspectativarius adigere potest successorem prælatum ad investiendum, si nomine *promissi* feudi in possessionem missus, sit eo consentiente, qui detinet, *I. f. 3.* In cujus textus explicatione concerrant præclara ingenia, quid proprie ibi denotet & importet immissio: Ego avide subscribo interpretationi. *Vultej. 1. c. 10. num. 16. Iohan. ab Arcedura concluſ. feud. 9. c. 3. num. 20. & Dn. Struv. c. 7. aphor. 9. exeg. 7.* in tantorum virorum fama securus. (4) Si conditio exspectativæ, vivo adhuc prælato, exstitit, quamvis mors ejus anteverterit traditionem feudi promissi. *I. f. 9. Dissent. Finckelth. disp. 7. c. 12. lit. b. per I. f. 25. vers. si dominus.*

XXVI. Similiter nec successor secularis, qui in regnum, ducatum, comitatum aliamque dignitatem & officium non jure hereditario, sed tenore electionis, procerum surrogatur, exspectativam, ab antecessore concessam, ratam habere tenetur, *Andr. de Isern. I. f. 3. n. 28. & ibid. Matth. de Afflict. n. 94.* Sic Imperator factum antecessoris præstare non compellitur. *Borcholt. c. 7. p. 2. n. 19. Vultej. 1. c. 10. n. 16.* Hinc profecto, *ut Nicol. Everh. cons. 1. n. 4. verbis utar* de brodio juris nil gustasse [illegible]letur. *Gerlac. Buxtorf. ad A. B. t. 7. th. 87. lit. d.* dum in[illegible]binde scripsit contrarium, quamvis cum ipso faciam, quod, exspectativa cum consensu P. P. E. E. data, Imperatori non præbeatur tutum negatio-

 nis

nis & retractionis receptaculum, quia eorum gesta quorum beneficio diadema Imperiale est adeptus, haud facile infringit. *vid. Georg. Everb. vol. 1. conf. 4. num. 126. 127. & 128.*

XXVII. Porro qui ex pacto & providentia in feudum succedit, cum non ultimo defuncto, sed primo acquirenti succedat, *II. f. 31.* summo suo merito investituram de tali feudo factam retractat. Cupio autem prædicta protrahi ad agnatum tantum, non quoque filios defuncti promittentis. Hi enim sicuti facto patris acquiescere *arg. II. f. 45.* ita & investituram in casum mortis confirmare tenentur, *Carpzov. I. P. F. p. 2. const. 45. def. 6.* Ratio differentiæ scatet inde, quod agnatus agnato succedens non habeat jus sanguinis, per quod succedit ab eo, cui succedit: Filius vero habet jus sanguinis a patre, cui succedit, adeoque similiter quidem succedit ex dispositione authoris sed mediante patre jus sanguinis tribuente. *Conf. Hartm. Pistor. 1. q. 26. n. 1. 19. 20. & Niell. disp. feud. 3. th. 4. lit. B. Pistor. sententiam declarans. Add. Scurff. cent. 2. conf. 59. num. 4. ubi elegantem & notabilem inde decidit casum.*

XXVIII. Fiscus, succedens in bona promittentis domini, ejus exspectativam servare non tenetur, *Schrad. p. 3. c. 2. n. 26.* quoniam heredis loco simpliciter non habetur, *l. 14. §. 1. verb. & ideo ff. de novation:* Idque indistincte tenendum, sive ex capite delicti fiscus ea sibi vindicet. *Hartm. Pistor. d. q. 26. n. 22. Berlich. d. c. 54. n. 55.* sive ex capite deficientis heredis tam legitimi, quam testamentarii. *l. 1. C. de bon. vacant:* Non enim jure hereditario, sed jure regali & vi dominii præeminentis bona investientis lucratur. *Christoph. Ioachim.* Buchholtz

disput.

disput. Inaugur. de Regal. th. 40. add. Rosenth. cap. 5. conc. 52. num. 1. & concl. 69. num. 1 add. Boss. tit. de bon. vacant. num. 10. & Matth. de Afflict. l. f. 9. num. 21. ubi eleganter cum Baldo dicit in obligationibus jam contractis, non vero in obligationibus contrahendis ex causa de præterito fiscum loco heredis esse. Dissent. Niell. disp. feud. 3. th. 4. lit. B.

XXIX Tandem pacti successori, v. g. confraternitatis, vigore in successionem vocatus, obligatus non est ad complementum promissionis de investiendo ab antecessore factæ, nisi antecessor fuerit ille ipse qui succedenti anomalam tribuit successionem. Nam si alius, e. g. ultimus in ducatu possessor promiserit, nullum puto præjudicium verti. *Dn. Struv. d. aphor. 9. exeg. n. 17.*

XXX. Silentio tamen prætereundum non est, tradi sparsim a Dd. quasdam exceptiones, quibus etiam proprio jure succedentes ad implendam investituram prædecessoris sunt obstricti, in quibus recensendis exquisite versari sine argutiis nolo. *Videsis Garf. de expens. c. 16. num. 14. Mandell. cons. 67. n. 4. Hartm. Pist. d. L. & novissime Dn. Tabor. tract. de obligat. success. in off. c. 5. qui divite cornu simul ac doctissime hæc prosequitur.*

CAP. VII.

DE CONTRARIIS.

THESIS I.

Postquam pro instituti ratione exspectativæ tum acquirendæ tum acquisitæ naturam ac qualitatem radicitus satis excussi, succedit tertia juris considera-
tio

tio quomodo ipsa amittatur. Cum enim privatio præsupponat habitum & amitti nequeat, quod ante acquisitum non fuit, hæc, quæ de amissione exspectativæ est quæstio, natura & ordine est posterior. Exspectativa vero legitime acquisita, non nisi justa causa amittitur, *I. f. 7.* cujus species hinc inde a Dd. & parce & obscure enumerantur, ad duo, meo judicio, revocandæ capita, ut dicamus, eam vel culpa amitti vel citra culpam *Gothofred. Anton. Disp. feud. n. th. 1. Corvinus de feud. lib. 3. tit. 1. vers. feudum.* Subtiliter equidem *Paul. 3. sent. 6.* discernit modos finiendi a modis amittendi, add: *Vultej. 1. c. 11. n. 3.* sed cum de re constet, ad hanc curiosam distinctionem non esse confugiendum, docte retur *Conrad. Rittershus. part. feud. lib. 2. c. 5 n. 1.*

II. Modos citra culpam exspectativæ finiendæ & amittendæ arcesso ex re ipsa & personis. Exspectativa una cum feudi interitu, in quo est constituta, interit ad instar ususfructus, *§. ult. I. de usuf.* itemque emphyteuseos *l. 1. C. ibid:* Sublato enim subjecto, tolli necesse est accidens sive jus, quod ei inhæret. *arg. l. 1. C. de cond. ob causam* & ubi præsuppositum non datur, ibi cessat dispositum. *Wesenbec. vol. 1. cons. 25. n. 11.* Interit autem regulariter feudum, sicut alia res, incendio, chasmate, terræ motu, *d. §. ult. l. 15. §. 2. ff. locat.* inundatione, *l. 30. ff. 3. de acquir. l. amitt. poss.* occupatione hostili, *l. 12. §. fin. de reb. auctor. jud. possid.* & aliis casibus. *arg. l. 1. C. de jur. emphit.*

III. Ex persona; nimirum eorum inter quos respectu pacti exspectativi mutua quædam relatio s. obligatio, exspectativa extinguitur 1. morte alterutrius, nempe domini promittentis & exspectativarii stipulantis.

lantis. Et morte quidem domini cui defuncto nemo sit heres ex his, qui necessitudine aliqua ipsum attingunt. *arg. II.f. 26.§. domino 47. Schultz de feud. c. 11. n. ult.* Quo casu si vasallus, in cujus mortem feudum fuerit promissum, adhuc supersit, dominium directum cum aliis bonis non ad fiscum venit, sed utili dominio jungitur. Ast quomodo? utrum ita, ut in præjudicium agnatorum & filiæ vasalli ad illius feudi consolidati, ut rei allodialis, successionem admittantur? Sic plurimi volunt, verum æquius videtur ferre judicium. *Dn. Struv. cap. 15. aphor. 3. num. 3. exeg. quod scil. in eo retineat pristinam qualitatem, ut solum ad masculos pertineat successio add. Matth. de Afflict. 11. f. 26. §. domino num. 2. & seqq.* Sin superior adhuc adsit dominus, a quo defunctus titulo feudi rem tenuit, ad ipsum res revertitur sine onere i. e. hic investitutam exspectativam adimplere haut obstringitur. *Schrad. p. 3. c. 2. n. 26.* Resoluto, enim jure dantis, resolvitur & jus accipientis. *I. f. 4. §. 6. junct. l. 31. ff. de pignor. Carpz. p. 2. I. P. F. c. 45. d. 8. Bertazzol. lib. 1. consult. decis. cons. 39. n. 67. & 68. ubi, quod obiter moneo, in pravam illam assertionem prorumpit, quod sub feudum, domino immediato sine herede defuncto subvasallus, id a mediato domino recognoscere cupiens, non amittat, arg. II. f. 9. pr. vers. eo excepto; qui tamen textus ibi refert consuetudinem veterem, quæ erat ante prohibitam alienationem, uti innuunt verba: poterat olim: amittebat: Matth. de Afflict. in d. text.* Quod vero non indistincte admiserim, quin potius dixerim, ex iisdem causis dominum superiorem exspectativam ratam habere teneri, ex quibus subinfeudationem; quo enim vitio laborat consequentia a feudo constituto ad feudum constituendum formata, *lege sis Hartm.*

 Pistor.

Pistor. l. 2. q. 44. Rosenth. c. 9. concl. 48. n. 8. Kobl. de subfeud. c. ult. n. 60. & seqq. Morte autem exspectativarii; si eo defuncto nemo superest alius ex familia primi acquirentis: non enim exstantibus iis, qui investitura exspectativa ad successionem conditionalem vocati, necesse est ipsam exspectativæ obligationem exspirare. *arg. d. t. 4. §. 6.*

IV. Ex persona eorundem, de quibus dictum est, II. exspectativa exinanitur conventione, sive ea tacite inesse censeatur, sive expresse adjiciatur. Priori casu amittitur exspectativa, a prælato concessa, eo mortuo, *I. f. 3. Cap. VI. tb. 25.* & monacho, respectu cujus data erat exspectativa, defuncto, *Clud. disp. feud. 2. n. 29.* Posteriori casu exstinguitur exspectativa refutatione, *II. f. 49.* quin enim feudum, saltem speratum, refutari possit, dubium non est, *Hottom. de feud. c. 38. in fin.* Item si promittens ante illius conditionis adjectæ exsistentiam: si me vivo feudum aperiatur, e vita migret. *Rosenth. c. 6. concl. 15. n. 3.*

V. Ex persona, exspectativa III. finitur, quando exsistente conditione alteruter eorum, qui pacti sunt super feudo viventis vasalli vel ad constituendum demum vel ad acquirendum feudum inhabilis deprehenditur: neque id temere a me dictum, mox patebit. Etenim non solum tempus promissionis, a domino factæ, est inspiciendum, ut exspectativa ab initio consistat, ob regulam Catonianam, *t. t. de regul. Cat. junct. C. III.* sed etiam exsistentis conditionis ideo, ut effectum habeat exspectativa, quod fit, si eveniente conditione, quis sit, qui feudum rite conferre & acquirere queat, ad instar fere institutionis *l. 49. ff. 1. de hered. instit. Hartm.*

sub

sub tit. de feud. obs. 6. verb. unde tria tempora. Hoc igitur præsupposito nonambigo, si dominus pendente adhuc conditione fiat prodigus, furiosus, aut aliter imperfectus ad conferendum feudum, exspectativam ab eo concessam omnino corruere, quoniam exspectativæ concessio nihil aliud est, quam promissio ad feudum constituendum. *Dn. Struv. d. cap. 7. aph. 4. num. 2. exeg.* feudi autem constituendi facultas dictis jure nostro clare adimitur. *ll. f. 3. add. t. t. de reb. eor. qui sub tut. l. cur.* Item si is, qui ratione officii aut dignitatis competentis exspectativam dedit, ante conditionis exsistentiam ab officio removeatur. Ponamus casum: Claudius & Nero in discordia in Imperatores pariter eliguntur: Nero elargitur exspectantiam, cujus profecto initialem subsistentiam nemo, nisi a tramite veri deflectens, inficiabitur, cum Imperator post electionem, ut utante coronationem, plenariam habeat potestatem administrandi jura imperii cæteraque faciendi, quæ ad Imperatorem verum spectant. *vid. notab. Const. Ludov. IV. Imperat. lata in Comit. Colon. Anno 1339. Limn. l. 2. de I. P. c. 4. n. 70. & seqq. ubi dissentientes graviter convincit.* Contingit vero, ut interea temporis Neronis electio, confirmata Claudii reprobetur, quid juris? exspectativa, a Nerone concessa, amittitur, nam tempus reprobationis retrotrahitur ad tempus electionis, ac si nunquam Nero electus fuisset. *Schrad. p. 4. c. 1. n. 12.*

VI. Ratione suæ personæ amittit exspectativarius feudum promissum, si tempore caducitatis ipsi quædam inhæreat inhabilitas ad acquirendum feudum, eo modo, ut sit incapax ad serviendum, e. g. mente captus, clericus, mutus & surdus reperiatur. Tum

 enim

enim dominum pacto exspectativo contravenire posse, dubio vacat. (1) quia promissionis causa *sc. finali* durante, perseverare saltem censetur promissio. *l. 5. §. 3. de jur. immun. l. 38. §. 4. quib. ex caus. maj. Angel. cons. 346.* & quælibet promissio debet intelligi rebus sic stantibus. *l. 8. de condict. caus. dat. l. 96. de V. O. Boss. tit. de carcer. fidej. n. 48. Bertazz. l. 2. cons. 560. n. 6.* Atqui in nostro casu non durat sed deficit causa finalis, nempe capacitas serviendi. Ergo nec dominus exspectativam adimplere tenetur, cum causa æque ac conditio purificari debeat. *Chalder. cons. 56. n. 2.* (2) omnis dispositio de habilibus est accipienda. *l. 11. §. 1. ff. de muner. & honor. l. 4. §. 6. de re jud.* (3) accedit præsumptio juris, quod dominus, si præscire potuisset subsecuturam inhabilitatem, exspectativam non concessit. *arg. 11. f. 55. §. firmiter. junct. l. 2. §. fin. ff. de donat. Bartazz. l. 1. Cons. 47. n. 12. & 13. add. Hartm. Pistor. lib 2. q. 32. n. 22. Carpzov. p. 3. I. P. F. c. 28. d. 8.* Quocirca conquerendi causam non habet ejusmodi imperfectus exspectativarius, quem dominus tempore aperturæ ad successionem admittere noluerit, secus si gratiam ejus fecerit. *Simon. Ulric. Pist. in addit. ad Hartm. Pistor. d. q. 22. lit. B.* Non officit *II. f. 36.* ille enim textus loquitur de feudo jam acquisito, non acquirendo, inter quæ diversa militat ratio *Hartm. Pistor. d. n. 22.*

VII. Exspectativa IV. citra culpam finitur & amittitur ex persona vasalli possessoris, eo superstitibus hæredibus defuncto, quando sc. exspectativarius in eum casum duntaxat fuerit investitus. *Hartm. Pistor. l. 2. q. 25. n. 13. & 14. idque j. Sax. diserte provisum c. 20.* **wann der Sohn nach des Vaters Tode lebet also lang, daß man seine Stimme gehören mag in den vier Wänden**

den des Hauses, so ist er beerbet mit seines Vaters Lehn, und hat es entführet allen denen, die Gedinge daran hatten. Et si vasallus possessor uxorem reliquerit prægnantem, conditio nondum dicitur exstitisse, sed, quoniam is, qui est in utero, pro jam nato habetur, quoties de commodo ejus agitur. *l. 7. ff. de stat. hom.* idcirco exspectandum tempus partus, ut appareat, an feudi capax nascatur vel non. *Vultej. l. 1. de feud. c. 7. n. 53.* Quid juris autem cum vasallus post impetratam exspectativam liberos procreet? num protinus evanescit ea? absit ut hcc existimes. Nam si ante patrem e vivis decesserunt, nullum vertitur præjudicium exspectativarii, nisi tenor investituræ exspectativæ aliud suadeat. *Vultej. d. c. 7. n. 50.* Diligenter vero animadvertendum, hanc conditionem *si vasallus sine successore feudali decesserit:* unice expressam, circa feudum mere hereditarium pinguiorem, ceu alias, exigere interpretationem: nam ut ut vasallus possessor sine liberis, feudi capacibus, ultimum obierit diem, non tamen conditionem evenisse, erit dicendum, sed præterea requiritur, ut vasallus nec heredem abinteſtato, nec ex testamento habeat, in aliumque neminem feudum promissum alienaverit, quia sic potiores sunt heredes omnes & acquisitores ipso exspectativario, *Laudens. 1. f. 1. §. Conradus.* Idcirco conditio hæc, feudo hereditario annexa, in illa resolvenda videtur verba: *Si vasallus sine liberis & quocunque alio herede decesserit atque penes ipsum vivum remanserit feudum add. II. f. 26. §. feudum ea lege. 48. Soar. prælud. feud. c. 40. n. 17. & 18. Cap. IV. th. 3.*

VIII Omnis exſpectativa ex perſona tamen vaſalli poſſeſſori I. circa culpam evaneſcit æque contra exſpectativarium ac contra dominum præſcriptione libertatis, quod fit, quando ille a domino ſervitia præſtare requiſitus, ea denegavit, & a tempore denegationis factæ triginta anni fuerunt lapſi. *II. f. 26. b. ſi quis per triginta. & ibidem Dd.* Quod ex ſententia juris Pontificii ita intelligo, ſi vaſallus bona fide detrectaverit ſervitia, ex probabili aliqua cauſa exiſtimans, de re, cujus nomine ſervitia exhibere vocatus eſt, ea non deberi, *c. fin. X. de præſcript. Roſenth. c. 6. concl. 82. n. 15.*

IX Finitur II. ex perſona vaſalli poſſeſſoris exſpectantia, feudo promiſſo a vaſallo alienato, ſive id fiat conſenſu domini, ſive vigore ſtatuti alio licito modo, *Cap. VI. th. 5.* Abhinc tamen ſpecialiter excipio, ſi e. g. venditor ante traditionem feudi feloniam commiſerit; ut ut doloſe: Tum enim exſpectativa non extinguitur, ſed potius feudum venditum ad exſpectativarium ſpectat, modo hic ſub ea conditione fuerit inveſtitus, nec fraude domini perpetrata felonia. *vid. Roſenth. c. 10. concl. 8. n. 1.* Maxime hoc procedit, ſi exſpectativarius curet ſibi a domino actionem vindicatoriam cedi, *Roſenth. d. l. Hartm. Piſtor. l. 2. q. 25. n. 25.*

X. Atque hæc dicta ſunto de modis, tam ex re, quam ex perſona citra culpam amittendi finiendique exſpectativam: Adorior modum eam culpa amittendi, qui non niſi unicus. *I. f. 21 pr.* nimirum ſi exſpectativarius quid faciat non faciendum, aut non faciat faciendum, de felonia loquor. Quæ autem culpa mereatur privationem Exſpectativæ, Dd. intricate exponunt, dum generaliter inferunt, eum, cui feudum promiſ-

ſum,

ſum, pendente conditione, feloniam perpetrantem ſpe illa ſuccedendi exui. *Zaſ. p. 10. num. 78. Roſenth. c. 10. concl. 1. num. 8. & ſeqq.* Et *Schrad. p. 2. part. 9. ſect. 6. num. 10.* concludit jus ex promiſſione de inveſtiendo quæſitum iisdem exſpirare ex cauſis, ex quibus vaſallus feudo privatur; neque attendit utrum promiſſio talis fuerit ſimplex & pura, an vero conditionalis, facta nempe de feudo viventis vaſalli in caſum aperturæ. *Matth. de Afflict. I. f. 9. n. 21. & 22.* In quo poſteriori caſu nos verſamur. Rationes autem hujus ſententiæ ſunt in promptu. Nam conſtituendum jus eodem modo amittitur, quo conſtitutum amitti ſolet, *arg. l. 26. ff. de uſu fruct. legat.* citiusque tollitur jus quærendum ac quæſitum. *Georg. Everhard. vol. 1. conſ. 27. n. 31.* imo (2) facilius quid impeditur fieri, quam jam factum deſtruitur, *arg. l. 8. ff. de his qui ſunt ſui l. alien. & ibid. Jaſ.* (3) quando delictum prævenit gratiam, gratia non influit & beneficium non confertur indigno. *II. f. 51. & ibid. Bald. & Alvarott.* (4) promiſſionis cauſa ad non cauſam eſt redacta, ut promiſſio condici poſſit. *arg. l. 1. ff. de condict. cauſ. dat. Vult l. 1. c. 11. num. 51.* Verum rem acu tetigiſſe videtur *D. Struv. ſyntagm. J. Feud. c. 15. aphor. 10. num. 6. exeg.* dum univerſalem hanc Dd. concluſionem aliqua diſtinctione ſatis feliciter temperare atque emollire annititur, audiamus verba: *Cæterum etiam is, cui feudum ſub conditione promiſſum, vel qui exſpectativam habet, amittit jus ſuum ex iis culpis, quæ poſſunt in eo locum habere, & non demum culpæ ſunt, ſi eas committens habeat jus in re & feudum poſſideat.*

XI. Unde firmiter colligo, ob non petitam inveſtituræ renovationem exſpectativam non exinaniri, uti

uti nec ob denegationem servitiorum. Ad utrumque enim faciendum nemo adigi potest, nisi qui habeat jus in re vel feudum possideat. *Rosenth. d. concl. 1.* quorum neutro gaudet exspectativarius. Item exspectativarius, qui jus suum succedendi conditionale absque consensu domini vendit & cedit, illo jure non cadit. *Schrad. d. sect. 6. num. 13.* nam non perfectio contractus, veluti venditionis, sed ejus consummatio, actualis nempe traditio feudi insecuta, privationem demum meretur. *l. 65. de V. S. junct. l. 20. C. de pact.* Sic concinne *Andr. de Isern. II. f. 55. n. 20.* scribit: *Per traditionem, quantum in se est, vasallus transfert jus quod habet, faciendo totum quod potest scil. tradendo. Add. Clar. l. 4. S. feudum q. 31. n. 3.* Qui autem tradi potest, quod alius detinet vasallus.

XII. Indicatis sic quodammodo culpis, quæ in exspectativarium non cadunt, facile erit judicare e contrario ex quibus vis pacti exspectativi collabascit. *Videantur ad nauseam usque F. F. ubi de amissione feudi tractant.* quo me remitto, ne tempus & chartas superflue his impendam. Non possumus autem non admonere quod exspectativarius feudo aperto, si tribus vicibus citatus domino fidelitatem facere recusaverit, beneficio se reddat indignum. *II. f. 22. 24. ff. 1. & ibid. Ravennas;* exspectativaque penitus evanescat, adeo ut sub hac conditione: das erste Gut, so uns heimfallen wird: investitus, quando primo apertum feudum dicto modo petere neglexerit, ad secundo aperti feudi successionem adspirare non possit, nisi sic velit tenor investituræ; ut, quod placet, feudum acceptet. *Cartin. Tusch. tom. 3. conclus. 620. junct. Cap. II. th. 9. circa finem.*

Quo-

Quo ad exspectativam ecclesiasticam sive provisionem annotat *Cardinal. Tusch. d. l. concl. 617.* quod ea exspiret, ni intra mensem beneficium vacans acceptetur. Mensis vero currit a tempore notæ vacationis in ecclesia. *c. un. in fin. Clement. de concess. præb.*

XIII. Feloniæ autem commissæ dominum exspectativario æque ac vasallo & expresse & tacite gratiam facere posse, non hæsito; *vid. II. f. 31. vers. nisi Rosenth. c. 10. concl. 38. n. 4. junct. Matth. de Afflict. I. f 9. n. 22.* Ex quibus velut ex scaturigine insigne quoddam promanat dubium: Quando vasallus, qui ab eodem domino & feuda & exspectativam habet, ob perpetratum delictum devestiatur, postea vero ipsi feuda a domino benevole restituantur, utrum recuperet quoque exspectativam sive jus succedendi amissum? Ego valde probo, quæ circa hoc decidit. *Schrad. p. 3. c. 2. n. 30. quod, licet dominus feudi, cui feuda aperta fuerunt, ipsi,* sc. vasallo, *feuda amissa restituat, per hoc tamen jus suum, quod ex hac investitura* sc. exspectativa, *habuit, non recuperet* sc. exspectativarius. Nam feudum & exspectativa sunt plane separata nec connexionem inter se ullam habent; a separatis autem non bona fit illatio. *l. fin. ff. de calumniat.* nec ex investitura unius feudi præsumi ad aliam asserit *Christoph. Zobel. ad c. 79. lit d.* Sachsen Lehnrecht, cum quo Jus Sax. concinit *d. c. 79. his verbis*: Leihet ihm aber sein Herr ein Gut anderweit das, so er gegen ihm mit Recht verlohren hatte, das Gedinge kriegt er darum nicht wieder. quem textum *Zob. d. l.* ad præsentem applicat casum ita: so ihm der Herr auch Gedinge oder andere Angefälle neben den Gütern in futurum & eventum hätte geliehen.

K XIV. Jus

XIV. Jus illud ſuccedendi in feudum viventis vaſalli, quod ex promiſſione domini competebat, jure amiſſum ad dominum regulariter revertitur. *arg. II. f. 24. §. ſi tamen beneficium fuerit paternum. Add. Roſenth. c. 11. concl. 1. & 2.* Ipſe namque primus acquirens, a quo & per quem feudum novum ad ſucceſſores transmittitur, feudo privatus, non poteſt illud transmittere: adeoque quævis felonia ab ipſo commiſſa non poteſt non obeſſe filiis, iisque qui ex pacto ejus ab ipſo cauſam ſuccedendi habent. *Conſil. Argent. 45. n. 14. col. 1.* Idcirco idem jus ponimus exſpectativæ, quoniam conſtituendum eodem modo, quo conſtitutum jus, amittitur. *add. th. 10. hic.* Illud vero ſaltuatim quæritur: An exſpectativarius, aut alius, cui feudum promiſſum, pro injuria ante caſum devolutionis domino illata huic invito ſatisfacere poſſit ad hoc, ne tempore aperturæ a ſucceſſione excludatur, ad ſimilitudinem. *II. f. 55. §. in ſuper.* Negat *Schraderus p. 2. part. 9. ſect. 6. n. 16.* quod tale jus irrevocabiliter per delictum pereat.

XV. Percepimus hactenus, ex quibus cauſis exſpectantia amittatur & ad dominum redeat jus ſuccedendi conditionale. Quid vero de exſpectativa titulo oneroſo comparata? num ejus amiſſæ pretium exſpectativarius utiliter repetit? Cum pretium empti feudi, illo finito, recuperari haut poſſit, *I. f. 2. pr. Matth. de Afflict. I. f. 8. pr. n. 5.* probabiliter idem quis diceret jus exſpectativario: ſed me prudentiorum judicio ſubmitto. Imperatorem ſucceſſorem quod attinet quando ille nolit ſtare gratiæ a prædeceſſore datæ, Exſpectativarius efficaciter ab ipſo repoſcit pecuniam, quam prædeceſſori ob exſpectativam dedit, & quidem cum

uſuris

ſuris & intereſſe ab eo tempore, ubi feudum promiſſum fuerit apertum vel confirmatio denegata. *Everhard. Jun. vol. 1. conſ. 1. q. 3. n. 32. 33. 46. 47. 51. 52. & ſeqq.* & ex eo *Berlich. concl. 45. n. 31.*

XVI. Tandem ſubnectendæ nunc eſſent cauſæ, ex quibus dominus ſpoliandus eſſet dominino directo ratione exſpectativarii; Verum hanc quæſtionem nauci habeo. Etenim pendente conditione, ſi dominus deliquerit, jus dominans vaſallo poſſidenti applicatur. *II. f. 26. §. domino & ibid. Matth. de Afflict.* ſin autem dominus poſt caſum devolutionis feloniam demum commiſerit, quid juris, non audeo determinare his meis juvenantibus annis, qui authoritate Dd. hactenus me deſertum deprehendi, quorum tamen præcepta ut diſcipulus colo.

Cap. IIX.

DE EFFECTU ORTO FOROQUE COMPETENTI.

THESIS I.

Circa effectum primum Exſpectativæ Cap. VI. fuimus occupati, denique cum nemo in judicio ſine actione agere & experiri poſſit *l. 6. §. fin. de negot. geſt.* videndus & perſtringendus erit effectus ortus ſive quænam exſpectativario (1) prodita ſit actio, ſi de conſtituendo feudo litigare decreverit: quænamque (2) domino.

II. Jam ſupra autem aliquoties ingeminavimus hac exſpectativæ conceſſione nullum jus in re ſed jus

 ad

ad rem ſive obligationem conſtitui; quod tali evincitur modo: Ubicunque perſona vinculo juris adſtringitur ad aliquid dandum aut faciendum ibi acquiritur jus ad rem *l. 25. pr. ff. de Obl. & Act.* Atqui noſtro caſu perſona &c. quoniam promiſſor obligatus eſt vel ad conſtituendum feudum, ſi tradendi facultatem contractus exigat, aut ad præſtandum intereſſe illius, cujus promiſſio facta eſt, ei cui promiſit. Ergo. Hinc ſponte ſua infertur, exſpectativæ conceſſionem non niſi perſonalem parere actionem: qualis enim cauſa talis effectus. *Cubach. c. 4. brocard. 4. add. erudite Vinn. ad ʃ. 1. I. de action. n. 2.*

III. Primum diſcutere placet actiones exſpectativario competentes, quæ ex natura conventionis, qua exſpectativa data eſt, formabuntur. *Vultej. l. 2. c. 1. n. 11.* quia contractus, per quem feudum promittitur, ſuam retinet naturam. *Roſenth. c. 1. concl. 4. n. 1. & 2. Diſſent Weſenb. c. 1. de feud. n. 5.* Et quidem ſi nuda & ſimplici conventione jur. Civ. actionem producere non valente, promiſſio fuerit facta, ſubvenitur conceſſionario condictione ex moribus. *arg. l. 1. de condict. ex lege. Schneidevv. p. 1. de feud. num. 17.* quæ variis inſignita a F. F. nominibus: alii eam condictionem ex L., alii actionem præſcriptis verbis, alii feudalem ſive beneficiariam, alii ex contractu feudali deſcendentem vocant *Oldendorp. claſſ. 3. art. 18. claſſ. 8. art. 11. Beat. Habn. in obſervat. ad tit. de condict. ex l. n. 5.* optime omnium dicitur condictio ex moribus ſive conſuetudine feudali. Sic enim habet concors interpretum doctrina, quando lege aut conſuetudine aliqua novum genus contractus eſt introductum, nec genus actio-

actionis expressum, quod debeat agi condictione ex lege illa vel consuetudine. Ast negotium hoc moribus cum sit introductum merito dabitur condictio ex moribus, *Rosenth. c. 12. concl. 11. n. 10.* ubi perperam autumat hanc condictionem ex moribus ex contractu feudali oriri. *Confer. Anton. disp. feud. 13. th. 1. lit. f.*

IV. Sin tali conventione, quæ apta ex se est de jure Civ. producere obligationem & actionem, exspectativa fuerit concessa, juxta indolem contractus vel actus instituetur a concessionario actio: ut quando promissio munita fuerit stipulatione, nascitur actio ex stipulatu *Vultej. l. 2. c. 1. n. 11.* Quando mediante contractu emptionis venditionis feudum promissum; actio empti. Quando rem allodialem quis pro feudo viventis vasalli in casum devolutionis dederit & sic permutationem fecerit (quod FF. Cambium usurpant. *I. f. 4. §. 2.*) præscriptis agi poterit verbis, *arg. l. 5. §. 1 & passim ff. de præscript. verb. Wesenb. c. 6. de feud. n. 2. Rittershus. partit. feud. lib. 2. c. 8.* Quando donata fuerit exspectativa prostat beneficium. *Nov. 162. c. 1. §. & sancimus. junct. l. 35. C. de donat.* Quando ultima voluntate concessa exspectantia, eamque concessionarius acceptarit, bene animadvertendum an intercesserit titulus particularis, an universalis. *Cap. II. th. 11.* Priori modo si legatum fuerit feudum vasalli possessoris testamento, hæres adeundo hæreditatem, cum tacite se obstringere videatur ad ea, quæ defunctus ultima sua voluntate voluit & jussit præstare *§. 4. I. de Oblig. quæ ex quasi cont.* tenetur actione personali ex testamento directa, sin codicillis vel donatione mortis causa concessio facta, utili adversus illum agetur. *Bocer.*

 class. 5.

class. 5. disp. 21. th. 5. Anthon. th. 1. lit. b. Præterea etiam datur actio hypothecaria. *arg. l. 1. C. comm. de legat.* Certe vindicationi, quæ alias secundum habiles terminos legatario competit. *d. l. 1.* hic locus non est: quia ut constituatur feudum a defuncto relictum facto heredis opus est, nimirum investitura, sine qua feudum nullo modo constitui posse expresse scriptum est. *I. f. 25.* adeoque cum ad feudum constituendum omnino necessaria sit investitura, non potest, antequam ea intervenerit, rei vindicationem, quæ ex jure feudi constituti *II. f. 8.* datur, legatarius instituere. *Gudelin. de jur. feud. c. 6. n. 2. Anthon. t. l.* Posteriori modo secundum diversitatem casuum exspectativario experiendum vel familiæ ercifcundæ judicio vel hereditatis petitione *Dn. Struv. c. 7. aphor. 3. n. 4. exeg.* Ubi reticere non possum si exspectativa pacto non nudo concessa, neutiquam intentandam esse condictionem ex moribus, *l. un. ff. de condict. ex l. & ib. Donell. n. 16. & 19. in fin.* dices igitur gerras esse & affanias, quibus exultat. *Rosenth. c. 12. concl. 11. n. 10.*

V. Hæ sunt illæ actiones personales, quæ dispositive exspectativario enascuntur, maxime si de feudo constituendo cum domino digladiatur, & quidem non alii quam primo creditori dantur; nam nec obligatio ab eo, cui primo acquisita est, avelli potest, sed ejus ossibus perpetuo inhæret: *arg l. 11. ff. de oblig. & act.* E converso non nisi adversus dominum locum habent, cujus debitoris personam obligatio sequitur, ceu lepra leprosum. *arg. l. 25. ff. d. t.* quique præcise, suo tamen modo, his actionibus adigi potest ad investiendum de feudo promisso, quando scil. tradendi facultatem habuerit,

buerit, sin minus succedit occasionaliter actio ad interesse, ut dominus aliud feudum ejusdem bonitatis vel quantitatis præstet. *II. f. 8. pr.* ubi Dd. Junct. *Cap. VI.* quæ attamen actio mala fide acquirenti denegatur, nisi expresse de ea sibi caveri curaverit. *Matth. de Affl. d. t. 8. n. 1.* Sic quoque si quis feudum viventis vasalli, ignorans pure stipulatus fuerit dominus tenetur de evictios. *Rosenth. c. 4. concl. 11. n. 1.* Item exspectativario, si in emendo feudo ultra dimium sit læsus, succurritur beneficio *l. 2. C. de rescind. vend. Afflict. I. f. 27. pr. n. 48.* quamvis alias hinc arcetur. *Schrad. p. 1. q. 3. n. 22. Rosenth. c. 9. concl. 63.*

VI. Hinc igitur luce meridiana clarius eminet, exspectativarium nullo gaudere remedio possessorio, ne quidem si abusive fuerit investitus, (ut Dd. comm. sequar.) Quod facile quis mihi concesserit de interdictis recuperandæ & retinendæ possessionis, quia nec amisit nec habet possessionem. *§. 4. 5. & 6. I. de interd.* ratione interdicti adipiscendæ possessionis litem movet. *Schrad. p. 5. c. 2. n. 27. post Præpos. & Afflict. Imo, inquiens, non tantum hisce actionibus agere illi, qui de re aliqua abusive investitus est, permittitur, sed etiam interdicto adipiscendæ possessionis experiri potest.* Verum enim vero accurate loquendo interdicta adipiscendæ possessionis, quæ in jure civ. habentur *vid. §. 3. I. d. tit. & ibid. Vinn.* huc non possunt applicari, quod inductione quisque nullo negotio demonstrabit. Præterea abusiva investitura non tribuit jus in re, sed saltem obligationem. *add. Dn. Struv. c. 1. aph. 9.* quanquam non sine ratione quondam in academia Julia sub Præsidio *Magnif. Dn. Eyben. in corollario 18. disp. 12. Schnob. ad Pandect.* subnexo ab eis discess-

discessum feci. Propterea pro cautela suadet Andreas de Isern. ita investito, ut si contra tertium possessorem cum fructu experiri cupiat, prius studeat mandari sibi, & cedi a domino actiones. *praelud. feud. q. 6. Hartm. Pistor. lib. 2. q. 25. num. 25.*

VII. Postquam egi de actionibus exspectativario proditis, ordine moneor tradere, quae domino competant. Atque vero, si exspectativam incolumen manere malit, poterit is vel ex natura conventionis, qua promissio facta, vel condictione ex moribus (quae ab utraque parte directa est *Schrad. p. 15. c. 2. n. 26.*) tempore devolutionis agere adversus exspectativarium, ut promissum feudum, cujus promissio data est, & ipse in feudum recipiat, rationeque ejus juramentum fidelitatis praestet. *Anton. disp. feud. 13. th. 1. lit. b. Vultej. l. 2. c. 1. n 17. Rosenth. c. 12. concl. 11.* Talis enim ordo servatur in jur. feudal., ut dominus primo faciat investituram verbalem, postea vasallus promittat fidem, & tandem subsequitur investitura propria; & hoc sensu dicitur investituram praecedere debere fidelitatem. *II. f. 4. & ibid. Matth. de Afflict.*

IIX. Deinde, si pendente conditione, sub qua promissio facta est, exspectativarius feloniam commisit, domino, exspectativam rescindere molienti, e re erit, experiri condictione causa data causa non secuta, *arg. I. f. 21. pr.* sive condictione sine causa; *arg. l. 1. ff. de cond. sine causa. Rosenth. c. 10. conclus. 1. n. 10.* quoniam causa redacta est ad non causam: dominus enim ita te promisit investire de feudo, quando tu esses gratus. *Vultej. l. 1. c. 11. num. 51.* Idcirco frustra exspectatur eventus qui nihil operabitur. Sed num dominus, eo non ob-

stan-

ſtante, ad inveſtiendum tenetur? non infimæ cenſuræ eſt quæſtio. Diſtinguendum eſſe videtur, an in continenti dominus feloniam probare poſſit, nec ne. Priori caſu petentem inveſtituram feudi repellit exceptio doli; dolo quippe facit, qui petit, quod mox redditurus eſt. *l. 8. ff. de except. dol. C. dolo facit. de R. J. in 6. Zaſ. p. 10. de feud. n. 78.* Poſteriori caſu, ſi ſcil. dominus offenſam e veſtigio docere nequeat & controverſia ſit altioris indaginis, inveſtitura immerito retractatur, ſalvo interim diſcutiendæ feloniæ judicio. *Zaſ. Vultej. Roſenth. alleg. loc.* Objicis: nemo poteſt disveſtiri, niſi qui fuerit inveſtitus, *arg. l. 43. §. 9. ff. de ædilit. edict.* & abſurde eſt dici, quod prius aliquid deſinat, quam incipiat. *l. 96. ff. de cond. & demonſt.* In promptu eſt reſponſio: licet committens feloniam non habeat feudum, ob quam illud perderet, promiſſionem tamen, quæ de feudo conſtituendo fuit facta, amittet, ac ſi haberet feudum, eaque, forte ſi ſcriptura data, condici poteſt. *vid. omnino Matth. de Afflict. II. f. 55. ſ. in ſuper. n. 13. & 14. præclare in utramque partem diſputans.*

IX. Feudo viventis vaſalli pure promiſſo fruitur dominus remedio nullitatis. *Roſenth. c. 4. concl. 9. num. 1. arg. l. f. 9.* quid autem num mortuo ſine liberis vaſallo utiliter illud remedium nullitatis opponitur; num vero non obſtante, quod exſpectativa pure fuerit conceſſa, dominus tum adimplere tenetur inveſtituram? Hoc quidem tenet *Jacob. de Belviſo d. t. 9.* Verum ego non audeo ipſi adſentiri, quin potius prius juri duco conſentaneum. *Roſenth. d. l. gloſſ. b.*

X. Optime hic inculcandum eſt, quod ſicuti obligatio ex pacto exſpectativo oriens utrinque eſt ad heredes tranſitoria, *I. f. 9.* ita quoque actiones & domino & exſpectativario inde proditæ non ſolum heredibus, ſed quoque contra heredes dantur. *l. 3. §. 7. de neg. geſt. l. 12. ff. de cond. indebit.* etiamſi nulla fuerit facta heredum mentio *l. 9. ff. de probat.* modo aliter inter partes non fuerit conventum, & tum agenti heredi obſtat exceptio pacti. *l. 56. §. 4. ff. de V. O. ad Cap. II. th. 8. & Cap. VI. th. 23.*

XI. Dum omne jus ad judicia referatur, neceſſe eſt, ut, perſpectis actionibus pacto exſpectativo partis, progrediamur ad alterum hujus Cap. membrum, nempe quo in foro ipſæ actiones ſint ventilandæ. His tricis ut rite eximamur, talis conſtitui debet regula generalis: quotiescunque de cauſa feudali ſive ex lege feudi non controvertitur, jurisdictio ad ordinarium rei judicem pertinet *Mynſ. c. 1. obſ. 99.* Quapropter ſi de inveſtitura in caſum mortis dominus ab exſpectativario & viciſſim ab illo hic lite pulſetur, Pares curiæ injuria ſibi vendicant cognitionem *Georg. Everhard. vol. 1. conſ. 50. n. 16.* Ratio (1) quia feudum ſine inveſtitura non datur, & conſequenter neque dominus neque vaſallus, merito *I. f. 25.* inde ratione pacti exſpectativi, nulla inveſtitura corroborati, ordinarium adeundum judicium *II. f. 20. verb. opponitur* (2) quia nec promiſſio de inveſtiendo, nec actio inde deſcendens feudalem naturam & qualitatem ſortitur. *Schrader. p. 10. ſect. 6. num. 176.* (3) quia laicus judicat non clericus de jure patronatus conſtituendo. *Felin. c. 3.*

de

de judic. num. 5. Atque hæc decisio adeo veritati est consentanea, ut, quamvis ille, cui promissio facta, respectu alterius rei jam sit Domini vasallus, nihilo magis pares exsistant judices. *Schrad. d. sect. 6. n. 180. arg. l. 32. pr. ad L. Aquil. l. 108. de V. O.* dispositum quippe de uno simili ad aliud extenditur. *Nicol. Everhard. top. loc. 12. a simili.* Objicis (1) *II. f. 39. §. si inter dominum.* qui textus jubet cognoscere Pares Curiæ, an de feudo sit investiendus ille, qui a domino petit, ut investiatur; Resp. non agit *d. text.* de feudo saltem promisso, sed de antiquo, quod semel inesse venit, adeoque de investitura veteri; quod innuit rubrica *ibi: de alienatione feudi paterni.* Est igitur sensus *vers. d. si vasallus nihil aliud a domino tenet pro beneficio sc. per investituram veterem; videndum utrum postea investiendus sit. i. e. in vacuam possessionem mittendus. arg. II. f. 2. In pr. II. f. 7. §. 1. vid. d. §. Matth. de Afflict. & Ravenn.* Nec alia explicatio obtrudi debet *Baldo. c. 1. §. si qua. controversia de pace Constant.* dum ait, controversiam motam inter dominum & vasallum ad Pares curiæ cognitionem indistincte pertinere sive agatur de investitura facta sive de investitura fienda: nam etiam in feudo constituto de investitura *sc. veteri* fienda litigari potest. *arg. I. f. 22. pr.* Objicis (2) Omnis lis, quæ de feudo movetur, a Paribus curiæ dirimitur, intellige si inter dominum & vasallum controvertatur. *II. f. 36. pr. verb. de feudo.* Atqui lis ex exspectativa promanans est talis. Ergo. Resp. ad minor: negando, utut enim, quod promissum est, sit feudum ratione vasalli possessoris, neutiquam tamen tale æstimari potest ratione exspectativarii litigantis; quippe qui demum sperat feudum illud sibi

 con-

conſtitutum iri. Dein poſito, nullatenus conceſſo, quod ſit feudalis res, interim majorem limito, cum non ſufficit rem feudalem in judicium deduci, ſed inſuper requiritur, ut ex jure feudi agatur. *Felin. c. 6. de judic. num. 8.*

XII. Modum denique procedendi & me tacente quilibet judicabit eſſe inſtituendum ſecundam normam juris Civilis & ordinarii præſcriptam, proceſſus enim ad praxin Curiæ, in qua litigandum erit, ad amuſſim debet accommodari. *Conſule Dd. qui ex profeſſo proceſſum civilem tradiderunt & jung. FF. ubi ſingularia proceſſus feudalis enucleant.* Ego huic diſſertationi finem impono, & lætantium, more nautarum eloquor:

SOLI DEO LAVS HONOR ET GLORIA.



Vir-



Virtus ipſa ſui decoris auctor,
Non egens alio colore, cuncta
Aufert præmia, publicasque laudes.
Sed ſi per ſeriem inclytam Parentum
Ad prolem veniens venuſtiorem
Vires accipiat ſuas eundo
Tanto nobilior, micantiorque eſt,
Quanto, quæ proprio refulget igni,
In fulvo mage gemma ſplendet auro.
Te natalibus inclytis & alta
Stirpis nobilitate præmicantem,
Qua ſeſe Proavique, Avique, Matris
Qua ſe linea, qua trahit Parentis,
BESSELI, propria evehunt & ornant.

 Hinc

Hinc ſeſe duplicant tui decores,
Annisque in teneris adulta virtus
Monſtrat ingenitam tibi a Parente.
Hinc &, qui faciles Avis honores,
Et ſemper comittata ſponte Patres,
Fervens Gratia Principum atque Regum
Ad te jam parili tenore tendent.
Exſpecta modo tam ſacros favores.

Nobil. Dn. Beſſelio, Cognato & Amico ſuo honorando applaudebat
HENRICUS MEIBOMIUS D. PP.

Exſpectativæ produnt Te quantus honorum
Exſpectet cumulus: præmia, amice, cape.
Præmia queis fas eſt tantos ornare labores
Præmia quæ magnos, BESSELIOSQVE, decent.

His paucis fraterno ſuo amico honores exſpectanti gratulatur
HARTVVIG von Spreckelſen
J. U. Lic.

Greifft

Greifft nach der Weißheit-Lehn! die Wartung habt ihr schon;
Ergreifft den Ehren-Krantz! So seyd ihr Themis Sohn.

Dieses setzte Freund-gesinnet hinzu
Heinrich Witte von Schwanenberg.
Nob. Liv.

Me quoque, Besseli, gratantia carmina poscis?
Nec satis est, si vox officiosa Tibi?
Et calamus devotus erit? Par lingua, manusque,
Quas merito exspectas, laudibus esse nequit.



L. M. Q. P.
RESPONDENS.

